Traité de la Défense des Icônes
ميمر في إكرام الأيقونات
De cultu imaginum libellus

par

Théodore Abu Qurrah
ثاوذورس أبي قرة
évêque de Harran

Texte arabe et traduction latine
Arab text, latin translation



par
Ioannes ARENDZEN

1897

Document indexé, télécharger le pdf

THEODORI ABU ḲURRA

DE

CULTU IMAGINUM
LIBELLUS
E CODICE ARABICO

NUNC PRIMUM EDITUS LATINE VERSUS ILLUSTRATUS.

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI

TRADITAM UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XII MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCXCVII HORA XII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IOANNES ARENDZEN

PRESBYTER DIOECESIS WESTMONASTERIENSIS
IN ANGLIA.

ADVERSARII ERUNT:

FRANCISCUS TRIEBS DR. THEOL. CATH.
FRANCISCUS VÖLKER CAND. PHIL.
MICHAEL SCHMITZ CAND. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI DROBNIG

MDCCCXCVII.

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

HERBERTO

S. R. E. TIT. SS. ANDREAE ET GREGORII IN MONTE COELIO

PRESB. CARDINALI VAUGHAN

ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI

LITTERARUM SACRARUM

TUTORI FAUTORIQUE LIBERALISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D D D

FILIUS DEVOTISSIMUS.

+ ليجمع الصليب ... واحد وسبعين + ابمـا
اسقف او قس او شماس او علما اعنيك ادو
ابسلط يصوم اربعين يوما الصيام العام
و الحده والاربعا فليقطع الان عتاب ...
جسد بعده من ذلك وان كان علماني بعزد ...
تم المصحف بعون الله وقوته ونعمته
وكان كمال كتابه في اول يوم من ذقيوس
يكون من حساب سني الدنيا على ما يقبل في
كنيسه القيامه بيت المقدس سنه ستة الاف
وثلثمايه وستة وستين ومن سني الاسكندروس سنة
الف ومايه وثمنيه وثمنين وهو يكون من سني العرب
في شهر ربيع الاول من سنه اربع وستين وماتين
كتبه الخاطي المسكين الحقير اسطا ...
بن ... يعرف بالوملي في سنو ... حر ...
لمعلمه الاب الفاضل الكبير الروحاني ابنا ...
عمره الله ... انت ... فاذكروني
نيحا لا نسيكه الله واقامكه عن يمينه واسمعه
ذلك الصوت البهي المحبوب المفرح انه يقول
تعالوا يا مباركي ابي رثوا الملك المعد لكم من قبل
انشا العالم يكون لنا ذلك بشفاعه ... الط...
وطاهرتنا وصلوات جميع الابا الابرار امين وامين

بسم الاب والابن وروح القدس اله واحد قوي وميمر
صنعه انبا تدرس اسقف حران القديس وهو ابو قرة
يثبت فيه ان السجود لصورة المسيح الهنا الذي تجسد
من روح القدس ومن مريم العذري المطهرة وصور
قديسيه واجب على كل نصرانـــــي
وان كل من عطّل من النصارى السجود لهذه
الصور انما تعطيله جهلا بما هو يديه من شرف
النصرانية وانه يلزمه ان وقع على حد حكمه
تعطيل اكثر سرائر النصرانية التي بالايمان
المحضة كان قبول النصارى اياها من السليحين
المقدسين وفي الباب الاول انك اخبرتنا يا اخونا
ثابته ان كثيرا من النصارى يدعون السجود
لصورة المسيح الاهنا الذي امكن ان يكون
له صورة لتجسده من روح القدس ومن مريم
العذري بوجهته منه خلاصنا وصور
قديسيه الذين تحلوا بروح القدس فيهم وا
سد ميد انه واشتكوه بعد او جاحه وتوبيخ
صبوا الجاهلية كلبة وصارو لا يقيم سكونا
للمومنين ذكر هو يهجهم بلد الا افتدا بهم

+ المجمع السليمي قانون واحد وسبعين ايما
اسقف او قس او شماس او اغنسطس او
ابسلط لا يصوم اربعين يوم الصيام العام
والجمعه والاربعا فليقطع الا ان يكون مرض
جسد يمنعه من ذلك وان كان علماني يفرزه
تم المصحف بعون الله وقوته ونعمته
وكان كمال كتابه في اول يوم من طوبه
يكون من حساب سني الدنيا على ما يقبل في
كنيسه القيامه بيت المقدس سنه ستة الاف
وثمانمايه وستة وستين ومن سني الاسكندر سنه
الف ومايه وثمنيه وثمنين تكون من سني العرب
في شهر ربيع الاول من سنه اربع وستين ومايتين
كتبه الخاطي المسكين الحقير اسطافن
بن حكم يعرف بالرملي في سيق مار حريطون
لمعلمه الاب الفاضل الكهنوا والوحاني ابنا سيل
غمره الله بالبركات فاذكروه في
تنسا لا تنسيكم الله واقامكم عن يمينه واسمعكم
ذلك الصوت البهي المحبوب المفرح اذ يقول
تعالوا يا مباركي ابي رثوا الملك المعد لكم من قبل
انشا العالم يكون لنا ذلك بشفاعه من تقوم الكاهره
وطاهرتنا وصلوات جميع الابا الاولاد امين وامين

† بسم الاب والابن وروح القدس اله واحد قوزموثيوي
ميمر قاله انبا ثذورس اسقف حران المقدس وهو ابو قره
يثبت فيه ان السجود لصورة المسيح الهنا الذي تجسد
من روح القدس ومن مريم العذري المطهرة وصور
قديسيه واجب على كل نصراني ✻
وان كل من عطل من النصارى السجود لهذه
الصور انما تعطيله جهلا بما في يديه من شرف
النصرانية وانه يلزمه ان وقف على ذلك
تعطيل اكثر سراير النصرانية التي بالاستار
المهذب كان قبول النصارى اياها من السليحين
المقدسين ✻ الباب الاول ✻ انك اخبرتنا يا اخونا
انبا انه ان كثيرا من النصارى يتركون السجود
لصورة المسيح الالهنا الذي امكن لم يكون
له صورة لتجسده من روح القدس ومن مريم
العذري بوجهه مبين خلا [illegible] وصور
قديسيه الذين نطلوا روح القدس يحرو[illegible]
[illegible] ميدانه واشتركوه [illegible] لوجاحه ونبيه
صبو الخليه صليبه وصاروا [illegible]
للمومنين ذكر هو [illegible] الاقدا[illegible]

PRAEFATIO.

I. De Iconoclasmo in Oriente.

Cum plurimi jam rerum scriptores de illa historiae ecclesiasticae periode scripserint, quae Iconoclastica vulgo vocatur, ita ut ad omnes hujus remotae aetatis latebras lumen admoverint, acta agere mihi viderer si in edendo de Sacrarum Imaginum cultu opusculo antiquissimo a narratione infaustissimae illius luctae initium sumerem et quae per centum et viginti annos [DCCXXII—DCCCXLII] a Latinis et a Byzantinis hac in re gesta sint, ordine narrarem, aut si de Italia hanc ob causam a Graecorum potestate abscissa, vel de separatione Ecclesiae Graecae a Latina, hisce eventibus praeparata, dissererem. Quod si facerem, ad illustrandum opusculum, in quo edendo hic libellus versatur, parum tamen conferrem, nam Theodorus Abu Ḳurrah, Ḥarrānensis episcopus, hujus opusculi auctor, Syrus fuit, vel ut tutius dicam, Orientalis et pro Orientalibus scripsit, qui, non in Imperatoris Byzantini dicione sed sub Arabum potestate agentes, quid aula Constantinopolitana sentiret vel inveniret non tanti faciebant sed sua consilia sequebantur. Etsi igitur de rebus a Graecis et Latinis gestis dicere inutile est, tamen eȧ quae Muslimos Judaeosque inter et Christianos hac in re acciderint, paucis verbis adumbrasse hujus opusculi intellegentiam haud parum juvabit.

Licet inter primos, qui famosam de tollendis imaginibus sententiam Constantinopolim advexerint, Syrus quidam fuisse dicatur, nomine *βησήρ* [1]) tamen ille, a Christiana fide ad Islām

1) Legitur interdum *βίσηρ* et *βασήρ*. Theophanes eum *τὸν σαρακηνόφρονα* vocat. Theophanis Chronographia; recensuit de Boor. Lipsiae 1883, pag. 402 et 405.

olim apostata, quid sui populares hac de re senserint haud apte auctor haberi potest.

Qui fuerit orientalis populi animus, quae voluntas, melius intelligitur si quid Theophanes [1]) (flor. circ. DCCCXVIII) Chronista Graecus narret de Cosma, episcopo Epiphaniensi, in memoriam revocatur. Hic enim, metropolitae Apameensis suffraganeus, cum sacra suae ecclesiae vasa abalienasset nec reddere vellet, Imperatoris Byzantini sententiam se esse secutum causatus, ab ipsis suis diœcesanis accusatus, a tribus Patriarchis Orientalibus, suffraganeorum consensu, synodis habitis, a dignitate remotus anathemate perculsus est. Ex eo quoque elucet fides Orientalium quod S. Joannes Damascenus, cum esset λαϊκὸς, inter Caliphae aulicos spectatissimus, ab Arabibus non molestatus, a Christianis laudatus, celeberrimas illas tres de Imaginibus orationes conscripsit quibus Graecos, ut in hoc cultu contra Imperatoris voluntatem perseverarent strenue adhortatus est. Solemne demum fidei Orientalium testimonium praebet epistola illa quae dicitur »Inthronistica" Theodori Patriarchae Hierosolymitani, quae in libello synodali continetur, Concilio Niceno II [DCCLXXXVII] [2]) a monachis Apostolicarum Sedium Orientalium vices gerentibus oblato. Nec tamen Orientales Christiani ab imaginum cultus adversariis liberi fuerunt. Theophanes [3]) Leonem Isaurum, Iconomachiae primum auctorem, ab aequalibus accusatum fuisse indicat quod in evertendis imaginibus Arabum Judaeorumque placita esset secutus. Requidem vera Jazidum II Chalifam in suae dicionis finibus imagines ex Christianorum ecclesiis deturbari jussisse haud facile potest negari. Ex Byzantinis enim scriptoribus haec colligimus: In Sess. V Conc. Nic. II [4]). Joannes ille monachus, qui cum socio Thoma Apostolicarum Sedium Orientalium vices gerebat, ipse Patriarchae Antiocheni olim syncellus, haec ex libello Synodico legit: Post mortem Umar ei successisse Jazidum, virum levem et mutabilem. Judaeorum Tiberiadensium antistitem, cum Jazidi fatuitatem cognosceret eum adiisse, eique

1) Vol. I, 433, 28.

2) Mansi. Sacrorum Conciliorum Nova Collectio. Florentiae 1665. T. XII, p. 1119.

3) l. c. p. 402, 408, passim.

4) Mansi XIII, p. 198.

triginta vitae annos esse pollicitum si omnes imagines profanas aeque ac sacras omnino destrueret, fatuum tyrannum, pro sua stultitia deceptum, per emissarios ubique omnes destruxisse imagines; si essent sculptae eas combussisse, pictas vero abrasisse vel oblevisse; cum vero Christiani ne illud facerent recusarent, infimam faecem populi Arabum Judaeorumque ad illud jussum exsequendum esse adhibitam. Jazidum vero, ait auctor, post duos annos et dimidium mortuum esse, Ulidum vero, Jazidi successorem, vates illos fallaces morte turpissima mulctasse. In Theophanis Chronographia eadem fere res narratur, sed Judaeus Laodicenus, non Tiberiadensis, Jazidum adiisse dicitur quadraginta vitae regnique annos ei promittens, quibus pollicitationibus credens simplex Jazid imagines destrui jussit, sed antequam ejus decretum multis cognitum fuit, eodem nimirum anno supremum diem obiit. Idem fere referunt auctores epistolae ad Theophilum Imperatorem, quicumque demum sunt [1]), et Jazidum *Φιλόζωον καὶ χοιρόβιον ἄνθρωπον* vocant.

Idem denique Joannes Zonaras [2]) (Sec. XII) Georgius Cedrenus (Sec. XI) Hi vero Judaeos iram Ulidi Caliphae effugisse, ad regiones Byzantinas pervenisse et ibi Leonem Isaurum adhuc juvenem rusticum seduxisse dicunt [3]). Latini vero Chronistae Anastasius et Paulus Diaconus haud alia narrant sed minoris sunt auctoritatis cum ex Graecis fontibus omnia hauserint. Ex Orientalibus scriptoribus fidem facit Dionysius [4]) Telmaḥrensis, Jacobitarum Patriarcha († 845) qui Jazidum secundo imperio ipsius anno edictum de tollendis imaginibus edidisse tradit. Gregorius quoque Bar Hebraeus breviter rem attigit, cum dixit

ܘܦܩܕ ܝܙܝܕ ܘܐܬܟܣܝ̈ ܨܘܪ̈ܬܐ ܕܟܠ ܚܕ ܡܢ ܗܝ̈ܟܠܐ ܘܡܢ ܒ̈ܬܐ

1) Le Quien „Joannes Damascenus", pag. 628.

2) Walchs Historie der Religionsstreitigkeiten. Leipzig, 1782. B. 10, p. 118 ss. Heple C. G. B. III.

3) Haec ad chronologiam haud apte conveniunt, nam anno 622 Leo Isaurus, jam per sex annos imperio potitus, juvenis rusticus dici amplius non potuit.

4) Assemani Bibl. Orient. II, p. 98.

5) Greg. Barhebr. Chronic. Syriac. Paris 1890, p. 118. — Edit. Bruns Kirsch. Lipsiae 1788, p. 123, ubi perperam ܘܠܐܟܣܝ loco ܐܬܟܣܝ̈ .

ܘܨܠ̈ܡܐ ܘܡܚܝܢ ܩ̈ܕܫܐ ܘܡܚܝܢ ܒܥܕ̈ܬܐ ܘܐܦ ܠܗܘܢ ܡܫܟܢܐ ܕܪܘܡܝܐ
ܗܘܘ ܒܗܘܢ

Ex Muhammedanis rerum scriptoribus easdem fere eventus memoriae tradidit celeberrimus ille Maḳrīzī (1364—1441) his verbis [1]) ثمّ هُدمت الكنائس وكُسرت الصلبان ومُحيت التماثيل وكُسرت الاصنام باجمعها وكانت كثيرة في سنّة اربع ومائة والخليفة يومئذ يزيد بن عبد الملك فلمّا قام هشام بن عبد الملك في الخلافة كتب الى مصر بأن تُجرى النصارى على عوائدهم وما بأيديهم من العهد ۞ [2])

In Muhammadanis auctoribus praeter hunc Maḳrīzīum nihil hac de re inveni, sed hoc silentium tanti ne feceris, cum de rebus religiosis Muslimos inter et Christianos nihil fere nobis narrent [3]).

Attamen quod Christiani rerum scriptores de Jazidi indole tradiderunt, eum scilicet fuisse hominem simplicem, stolidum, facile decipiendum, vitae amantem, »porcinisque moribus", optime consonat cum iis quae ex Muslimicis Chronistis de eo didicimus, a quibus depingitur ut صاحب لهف وطرب. De Judaeis vero quadraginta regni annos ei pollicentibus etiam Ṭabarī [4]) loquitur:

قال علىّ قال ابو ماوية او غيره من اليهود ليزيد بن عبد الملك

1) Videtur vero Maḳrīzī culpam potius Ušâmao Ibn Zaid, redituum administratori in Aegypto, injicere, quam Chalifae.

2) Wüstenfeld, Macr. Geschichte der Kopten. Göttingen 1845, p. ٣٢.

3) Apprime ad rem nostram dicit Alfred von Kremer (Culturgeschichtliche Streifzüge auf dem Gebiete des Islams. Leipzig 1873, p. 1, 2). Wir verdanken dem unermüdlichen Sammelfleiss der Arabischen Chronisten unsere Kenntniss der politischen und militärischen Geschichte jener Zeiten welche so genau ist als dies nur immer auf eine Entfernung von zwölf Jahrhunderten der Fall sein kann, allein grade die innere Geschichte jener denkwürdigen Epoche, die Geschichte des Kampfes einer neuen rohen Religion gegen die alten hochgebildeten, zum Theil überbildeten Culte ist kaum in ihren allgemeinsten Umrissen bekannt.

4) Annales quos scripsit At-Tabarī, edited M. J. de Goeje cum aliis. Leiden 1893 Ser. II, p. 1463.

ذلك تملك اربعين سنة فقال رجل من اليهود كذب لعنه الله انما
رأى انه يملك اربعين قصبة والقصبة شهر فجعل الشهر سنة

Sacras Imagines post Jazidi mortem in ecclesiis esse restitutas a pluribus chronistis diserte asseritur. Etsi igitur contra ipsas Imagines nihil amplius egisse videntur Chalifae, tamen innumeris vexationibus et persecutionibus obnoxii erant Christiani, et quamquam Abbāsides leniores in Christianas fuisse quam Omaiiades narrat Bar Hebraeus [1]), tamen sub Manṣūro Chalifa (757) Georgium Jacobitarum Patriarcham, Theodoritum, Patriarcham Graecorum, et Jacobum Nestorianorum Catholicum carcere inclusos fuisse apud eundem auctorem traditum invenimus. Notandum vero circa hoc tempus Joannem Damascenum de Imaginibus colendis scripsisse, quod sane Arabibus omnino ignotum fuisse non potest, fuit enim Joannes [2]) *πρωτοσύμβουλος* vel Consiliarius Supremus Chalifae, sed eum molestias hac de re passum esse a Muslimis, traditum non invenimus. Cum vero legati Tarasii Patriarchae Constantinopolitani in Orientem venissent ut ad concilium celebrandum episcopos Orientales invitarent, lacrimis precibusque rogati sunt [3]) ut secreto et sine ullo tumulto rem agerent, ne Arabibus innotesceret quid vellent, alioquin ecclesiae tum demum pace quadam et quiete fruentes diris persecutionibus exponerentur. Attamen verisimile videtur hunc metum non inde esse exortum, quod Arabes de concilio ad tuendas Imagines celebrando sed de conventione episcoporum in dicione Byzantina habenda iratos fore putabant. Mahdius Chalifa versus annum DCCCLXXXI. Christianos Syros inter Emesam et Damascum habitantes crudeliter persecutus est. Cur vero id fecerit ignoratur. Hujus viri filius Harūn ar-Rashīd [4]) celeberrimus ille chalifa,

---

1) Gregorii Barhebraei Chronicon ecclesiasticum. Abbeloos et Lamy. Lovanii 1877, pag. 154, partis III.

2) Vita S. Joan. Damasc. a Joanne Patriarcha Hieros. Migne Patrol. Series graeca XCIV, col. 460.

3) In libell. synod. vid supra et Hefele C. G. B. III, p. 422 et B. Jungmann Dissert. in hist. ecclam. Tom. III, pag 49.

4) Conf. Der Khalif Harun al Rashid und das Christenthum Dr. Franz Görres in Zeitschrift für wissenschaftl. Theologie von A. Hilgenfeld. Leipzig 1889. 1st Heft.

tolerantioribus Arabum principibus adnumerandus est sed nihilominus, Cypro debellato, omnes ecclesias ibi destruxit. Quanam ratione motus id fecerit intelligemus si meminerimus eum famosam illam statuam Heracleos in Heraclea Pontica [1]) evertisse et diruisse; ejusdemque Chalifae ducem Ḥumaidum [2]) classe Myram adiisse et Sanctuarium S. Nicolai destruere conatum esse, quod sane ipso Chalifa haud renitente factum est. Anno DCCCXXV e contra, cum Muhammad frater Chalifae Abd' Allah [3]) Edessenas vastavit Ecclesias, Chalifa, in Aegypto commorans, fratri scripsit eum reprehendens et imperans ne laederet aut vexaret Patriarcham neve ecclesias demoliretur. Ad horum temporum intelligentiam et ad haec tempora illustranda maxime confert historiuncula illa a Barhebraeo memoriae tradita, praesertim si haec sub Mutawakkilo, Chalifa in Christianos ceterum infensissimo, accidisse in mentem revocamus. Narrat enim Abu-lfaragius [4]) floruisse sub id tempus († DCCLXXVI) Honainum medicum, a quo Israelem medicum apud Mutawakkilum Chalifam esse accusatum quod idolum coleret et nomine tenus tantum Christianus esset. Misisse itaque Chalifam, qui domum Israelis perquirerent, eosque imaginem Deiparae apud ipsum inventam ad Chalifam detulisse. Tum Israelem Honaino, illam esse idolum de quo significasset asserenti, dixisse: Si idolum est, exspue in ipsum. Honainum vero hoc ausum non esse; tum demum accersito Catholico, rogasse Chalifam utrum illa imago apud Christianos admitteretur nec ne. Catholicum autem, imaginem Deiparae a Christianis venerandam esse proclamantem, jubente Chalifa Honainum anathematizasse. Etsi hic Chalifa prae aliis Arabum principibus Christianis inimicum se praebuit, tamen imaginum cultum parum curavisse videtur, quippe qui ipse contra morem Islamicum numismata cuderit sua imagine ornata, quae in iis erat impressa.

Christianorum vero ecclesias sub illo tempore, splendore excellentes omnibus admirationi fuisse indicat Gāḥiz († 255) in كتاب

1) Expugnatio Heracleae Ponticae describitur a Ṭabario. Ser. III, 696.
2) Theophanes, l. c. 483, 9.
3) Sic a Bar Hebraeo vocatur, assumpsit vero nomen Ma'mun. Bar. Hebr. l. c. p. 360, partis I.
4) Bar Hebr. l. c. III, p. 198.

لحيوان, quem laudat A. v. Kremer [1]). Quibus rebus judicatis atque perpensis hoc judicium de Imaginum cultus controversia, in Oriente agitata, ferendum mihi videtur: Principes Muhammedanos, quamvis ipsi Corani vetito obsequentes [2]), ab omni imaginum cultu abhorrerent, tamen Christianis inde ab Omari I temporibus religionis libertatem saltem theoreticam indulsisse, eosque, si Jazidum II excipias, hanc libertatem ad iconoduliam extendisse, revera tamen principes aeque ac plebem Arabum Christianos saepissime vexasse non verbis et vocibus tantum sed vi et verberibus, spoliationibus, trucidationibus, imaginum vero cultum Muslimis prae ceteris Christianis disciplinis odiosum fuisse, utpote quae idololatria eis videretur et inde accidisse ut hac de re praesertim Christianos opprobriis afficere conviciarique solerent. Quamquam igitur Christiani Orientales suis ingeniis ad venerationem imaginum quam maxime erant propensi atque inclinati, verisimile tamen est, nonnullas fuisse, qui potius Muhammedanorum conviciarum pertaesi, quam Graecorum cavillationibus convicti, hac veneratione abstinebant. Cosmas vero episcopus, Honain medicus, et illi de quibus Theodorus noster (Cap. XXIII) dicit, qui imaginum vere adversarios se praebuerunt cum suis popularibus haud consensisse videntur. Quid vero Judaei de imaginibus tenuerint teneantque nemo est qui ignoret. Rigorosam de non effingendis imaginibus sententiam, quae secundae reipublicae temporibus vigebat, a Judaeis posterioribus mitigatam esse in comperto est. In Talmud enim imagines ad scientiam comparandam exercendamque adhibere Judaeis conceditur, nec animalium plantarumque imagines effingi vetantur, hominum vero imaginibus, tantummodo si sculptae sint, interdicitur.

II. De Ipso Abu Ḳurra.

Sed hactenus de temporibus cum libellus noster scriptus est, nunc de ipso auctore dicamus. Quo tempore vixerit, cujus urbis episcopus fuerit non constat, et tam variae sunt doctissimorum

---

1) Streifzüge sc. A. v. Kremer. Textbeilagen N°. XVI, pag. 71.

2) Ign. v. Döllinger Muhammed's Religion. Regensburg 1838, p. 59. Ursache der moslemischen Bilderscheu.

hominum, tamque discrepantes sententiae ut paulo fusius hisce de rebus agere non inutile esse videatur. Affirmat A. von Kremer [1]) Theodorum nostrum anno DCCCXXVI p. C. n. mortem obiisse sed lectorem refert ad historiam ecclesiasticam Gieseleri, cuivis vero ipsum Gieseleri [2]) librum inspicienti, statim patet Kremerum errasse, loco enim citato Gieseler agit de Theodoro Studita, non vero de Theodoro Abu Ḳurra, quem eundem fuisse ac abbatem Studii nemo unquam dixit. In alio libro [3]) idem v. Kremer dicit Theodorum nostrum *Damasci* quotidianum commercium cum Arabibus habuisse. Quonam jure Abu Ḳarram *Damasci* vitam degisse statuerit nescio, nisi forte hoc eo sequi perperam putaverit quod Joannis Damasceni discipulus fuisse dicitur, non enim totam vitam Damasci transegit ille Joannes, sed in laura S. Sabbae [4]) *κατὰ μεσημβρίαν τῆς ἁγίας πόλεως Ἱερουσαλὴμ, ὡς ἀπὸ σταδίων π'*, asceticis et literariis disciplinis alteram vitae partem dedicavit, quod si Theodorum discipulum habuit, ibi potius quam Damasci hoc evenisse verisimile est. Facilius vero refutatur, quod de Theodoro temere asseritur quam quid tenendum sit indicatur, praesertim cum perpauci nostrae memoriae auctores [5]) ad ejus vitam indagandum ingenia contulerint. In recensendis vero de Abu Ḳurra sententiis ab ovo incipere non lubet ne opiniones manifeste erroneas refutantes, tempus terere videamur. Fabricius enim Ittigius, Leo Allatius, Gretser, Turrianus, Possevin et Cave suam fere quisque de hoc viro sententiam tueri conatus est. Mitto

---

1) Culturgeschichte des Orients. Wien 1877, II, p. 403.

2) Kirchengeschichte, ed. IV. Bonn 1846, B. II, Abth. 1, pag. 13.

3) Culturgeschichtliche Streifzüge, p. 7, et iterum Culturgesch. des Or., pag. 402.

4) Vita S. Joan. Damasc. auct. Thoma Hierosal. l. c. pag. 450, et J. H. Lupton in „A Dictionary of Christian Biography" by W. Smith and H. Wace, sub voce Joan. Dam.

5) Geschichte der Byzantinischen Literatur. Krumbacher. München. 2e Aufl. p. 81.
Kirchenlexicon. Wetzer und Welte. Alte Ausgabe, sub voce Abukara.
Real Encyclop. für Prot. Theol. v. Herzog, sub voce Joann. Damasc.
Fabricius. Biblioth. Graec. B. X, p. 363 (Harles) quod aff. Migne. Graec. tom. XCVII, pag. 1445.
Ittig. Comment. theol. ad opusc. de Baptismo fidelium a. Chr. adv. Francof. et Lipsiae 1743, pag. I—X.
Michaud. Bibliographie Universelle, sub voce Abukara.

igitur sententias, qui eum cum Theodoro Raithuensi et cum Theodoro Antiocheno confundunt. Nonnulli vero sentiunt operum, quae sub Abu Ḳarrae nomine circumferuntur, auctorem esse illum Cariae episcopum, qui primum Photii partes secutus, anno DCCCLXVII ad Ludovicum Francorum regem missus, postea vela retrorsum vertit et in Concilio Oecumenico VIII veniam petit, quam propter sua erga ecclesiam merita assecutus est. Hanc opinionem propugnaverunt Lambeccius [1]), Nesselius, Gretser, Cave, alii, a recentioribus autem rejicitur sed cl. Steinschneider [2]) hanc sententiam denuo adoptare videtur, cum dicit: Theodorus Abu Kara wurde von Photius 867 an König Ludwig gesandt, Ma'mum starb 834. Duplex argumentum pro hac sententia proferri potest: titulum opusculi XL vocabulo *Φωτίου* esse insignitum et vocem graecam *Καρῶν* Cariae incolas designare.

Animadvertas autem opusculum XL paucis tantum verbis constare, quae V lineis comprehendi possunt, ita ut hae paucae voces ex uno codice ad alterum facillime possint esse transpositae. Porro aliis inscriptionis verbis: *Ἐκ τοῦ αὐτοῦ Θεοδώρου ἐπισκόπου Καρῶν περὶ τοῦ Ἀδάμ* nomen Photii, a contextu alienum et disjunctum, additur, ita ut quid sibi velit non satis liqueat. Quod vero ad hoc attinet quod Theodorus *Καρῶν* i. e. Carum episcopus dicitur, contra dicendum in Codice Graeco a Le Quien allato *Χαῤῥὰν* episcopum eum dici, deinde in codicibus Arabicis حران [3]) scriptum esse sicut iam Assemani indicat, Syriace vero et carshunice ܚܪܐܢ [4]) denique Theodorum a Barhebraeo ܚܪܢܐ vocari. Meminisse quoque juvat episcopis non ab incolis sed ab ipsa civitate ubi sedes collocata sit nomen accipere esse solitos, sic ille Theodorus in Act II, IV Conc. VIII *καρίας Ἐπίσκοπος* non vero *Καρῶν* dicitur. Dicit Ittig Joannem illum, qui epistolae synodali Provinciae Osroënae ad Leonem Imperatorem subscripsit se *Καῤῥῶν*

---

1) Kollar zu Lambeccius, VIII, p. 88.

2) Polemische und apologetische Literatur in Arabischer Sprache in „Abhandlungen f. d. Kunde des Morgenlandes. Band VI, N°. 3. Leipzig 1877, pag. 80.

3) Steinschneider, l. c.

4) Zotenberg. Catalogues des MSS. Syriaques et Sabéens de la Bibliothèque Nat. 1874. N°. 204, et Assemani Bibl. Or., p. 292 in nota et in textu.

5) Migne. Series Graeco-Lat. XCIV, pag. 1585.

episcopum nominasse, sed parum ad rem, agitur enim de voce *Καρῶν*, non vero de *Καῤῥῶν*, hac voce urbem Carrhas indicari nemo est qui ignoret. Scite vero hic locus a Mignio laudatur: *Τὸ μὲν ἐκ βόθρου, τινὲς ἔφασαν λέγεσθαι τουτέστιν ἐκ Καρῶν, τῆς νῦν οὕτω λεγομένης ποτὲ δὲ Χαῤῥαν* (Theodorus Antioch. in Amos IX). Ergo sententia quam Ittigius [1]) suo jam tempore »ad nauseam usque" inculcatam esse dicit, revera haud diutius teneri potest, praesertim si pro quibus hominibus scripserit ratio habetur, ex magno enim numero disceptationum cum Saracenis et Monophysitis patet eum non inter Graecos sed inter Arabes et Christianos Orientales floruisse; quî quaeso fieri potuit ut opusculum de imaginum cultu contra البرّانيّين et اليهود et contra Christianos metu infidelium ab imaginum cultu abstinentes, conscriberetur in Byzantina regione Caria? Sed convertamur ad aliam sententiam quam acerrime propugnavit Le Quien, de qua dubius haeret Fabricius et alii: Theodorum fuisse episcopum Ḥarrān in Coele-Syria. Etsi etymologiae non fido qua Le Quien, S. Hieronymum secutus, nomen hujus oppidi a חַוְרָן [2]) et ܚܘܪܢ et Huran (Arab) derivare conatur, haec enim nomina designant illam regionem quae *Αὐρανῖτις* vel *Ὡρανῖτις*, Arabice vero حَوْران vocatur, — tamen is non sum qui negem vicum quendam prope Damascum [3]) exstitisse et usque hunc diem existere ubi in agris palustribus columnae quaedam eversae jacent. At quo tandem jure hic viculus in Coele-Syria situs esse dicitur? Ut hujus loci Theodorum episcopum faciat, laudat Le Quien [4]) codicem, qui olim ill. Senonensis episcopi de la Hoguette fuit, in quo hic opusculi titulus legitur: *ἐκ τῶν πρὸς τοῖς Σαρακηνοῖς ἀντιῤῥήσεων τοῦ ἐπισκόπου Θεοδώρου Χαῤῥὰν ἐπικλὴν Ἀβουκαρᾶ ἀπὸ φωνῆς Ἰωάννου διακόνου*; in prologo autem hunc Joannem diserte asseverasse dicit: *Φημὶ γάρ τὸν μακαριώτατον καὶ φιλοσοφώτατον ἐπίσκοπον*

1) Ittig, l.c., pag. 9.

2) De Ḥaurān vide C. Ritter. Erdkunde. Berlin 1818, p. 354.

3) Vide: Guy le Strange. Palestine under the Moslems. London 1890. Qui praeter Ḥarrān prope Damascum aliud oppidum ejusdem nominis prope Halab indicat, p. 449 et 518.

4) Orient. Christ. II, 847-50.

γεγονότα Χαῤῥὰν τῆς κοιλῆς Συρίας Θεόδωρον τὸν τὴν δυσασεβῆ Ἀγαρηνων θρησκείαν στηλιτεύσαντα ἐν θεοπνεύστοις ἀληθῶς συγγράμμασιν, καὶ παντὸς γέλωτος πᾶσιν ἀξίαν αὐτὴν δείζαντα.
Quamquam Le Quien nihil aliud de hoc codice addidit, crederem eum esse Numerum IIII Parisiensem, quippe qui ut Migne notavit, aliquos tractatus »referente Joanne Diacono" contineat. Sed quamvis Le Quien indignetur in scribas, qui Δαμασκηνοῦ loco διακόνου scripserint, tamen hanc scribendi rationem erroneam illam vero rectam esse ex eo elucet quod dictante Damasceno plura praeter opusc. XVIII opuscula scripsit Theodorus, cujus quippe opuscula plura ex disputatione Damascenica contra Saracenos expiscari possint. Praeterea narratiunculae in opusc. de cultu Imaginum allatae, eaedem sunt ac in Joannis orationibus pro imaginibus, narratio etiam de monacho [1]) secundum recensionem, quae apud Joannem est, in Arabicam linguam videtur esse translata, non vero ex »Prato Sprirituali" unde primam originem sumpsit. Quo efficitur ut Abu Ḳurram Joannis discipulum fuisse nemo negare possit et argumento Le Quienii fundamento careat. Quid vero de illis prolegomenis dicendum sit nescio, cum codices Parisienses inspicere non potuerim. Sunt denique nonnulli qui putant Theodorum Charran »trans Jordanem" episcopum fuisse, quae civitas metropolitae Rabbath subjecta esset. Ita Tyrius et Erhardt [2]) qui hanc opinionem rejicere non audet. Sed in nullo codice Arabico vel Graeco aliquid invenitur quo haec sententia inniti possit. Fortasse tale oppidum trans Jordanem fuit, nihil contra dico, sed quod dicunt Theodorum ab epistolis Arabicis fuisse Thomae Patriarchae Hierosolynitani et inde sequi eum sedem Hierosolymis proximam eique suffraganeam tenuisse, hoc nihil valere mihi videtur cum ex notitia opusculi IV non sequi videatur eum Thomae ab epistolis Arabicis fuisse, e contra haud sine veritatis specie dicitur Thomam tractatum de Orthodoxa fide, Arabice ab Episcopo regionis Armeniae vicinae conscriptum, aptissimum judicasse ut ad Armenos mitteretur. Veniamus postremo ad sententiam quam unam rectam esse opinor,

1) Cap. VIII.
2) Geschichte der Byzantinischen Literatur. Krumbacher. München. 2e Auflage, S. 81.

Theodorum fuisse episcopum Ḥarrān in Mesopotamia. Pro hac sententia stant Codices Arabici, qui supersunt; accedit quod in N°. 204 Parisiensi etiam ܡܛܪܢ ܚܪܢ dicitur, si vero *vici* Charran prope Damascum vel fere ignotae sedis trans Jordanem praesul fuerit, sane »metropolita" vocari non potuisset. In N°. 238,[13] habemus Disceptationem conscriptam a ‹ مار سعمون الذى هو ابى قورة اسقف نصيبين وحرران (sic) مع امير المومنين هارون الرشيد ›.

Hic Simeon procul dubio idem est ac Theodorus noster, episcopi enim orientales sibi nomen imponere solebant, cum sedibus episcopalibus praeficiebantur, quod itaque Abu Kurra hic Simeon vocatur non tanti est faciendum. Quod si revera revera Nisibensem et Ḥarrānensem sedem occupaverit, quis dubitet quin Mesopotamiae urbs ejus sedes fuerit? Maxima vero ratio cur hanc sententiam amplectar, haec est: In Cap XXIII operis de Cultu Imaginum loquitur de urbe NOSTRA Urhâ' et ostendit se Edessam optime cognoscere et quadam auctoritate in urbe frui, fortasse sicut Mār Stratonicus [1]), quem ex magnae ecclesiae presbytero episcopum Ḥarrānensem factum esse narrat Josue Stylites. Hoc profecto eum Ḥarrān Mesopotamiae praesulem fuisse suadet. Si quaeras, cur de illo nulla fere notitia ad nos pervenerit, cum tamen plurimi episcopi Ḥarrānenses nobis noti sint, hoc inde ortum esse videtur quod Chronistae Syri hujus aetatis fere omnes monophysitae fuerunt, qui de Melchitis, i. e. Catholicis, sive ut ipsi dicunt »Graecis" non multa memoriae tradiderunt. — Nomen Abu Cara mutavi in Abu Ḳurra, illud enim non nisi graecorum codicum uniusque codicis Arabici auctoritate nititur, hoc autem arabico scribendi modo قورة probabile redditur, porro ابو vel ابن قُرَّة est nomen inter Arabes vel Syros non infrequens et Pater Refrigerii vel Consolationis interpretandum est.

1) The Chronicle of Joshua the Stylite, ed. W. Wright. Cambridge 1882, Cap. XLII ad finem.

III. De Abu Ḳurrae Operibus.

De Theodori operibus, quae graece tantum exstant nihil habeo quod addam, in lucem ea edidit fere omnia Gretser. S. J.[1]) iterum Migne[2]), qui opusculum »De Unione et Incarnatione illudque pulcherrimum et jam antea bis editum, seriei addidit. Assemani[3]) vero jam affirmat se nonnulla Abu Ḳurrae opera Arabice legisse in urbe Sidone apud Euthymium archiepiscopum. Qui vero nunc in Bibliothecis Europaeis latent codices Arabici scite recensuit cl. Steinschneider. Illi vero كتابة cum Amiral-muminin duo alia opera addenda sunt, 1°. Opusculum *Περὶ τοῦ νόμου* Μωϋσέως *ὑπὸ Θεοδώρου* 'Ε*πισκόπου* حران ex bibliotheca Sinaitica N°. 441 δ'. 2°. Opus de Cultu Imaginum, quod nunc edimus. Opusculum de lege Mosaica procul dubio graece jam exstat, sed nondum est in lucem editum. Migne enim dicit in codice Parisiensi praeter alia Theodori opuscula esse Colloquium »de Christiana Religione et Mosaica Lege" quod sane idem sonat ac *περὶ τοῦ νόμου* Μωϋσέως. Num idem est ac Opusc. X Π*ρὸς* 'Ι*ουδαῖον*? Missis autem aliis Abu Ḳurrae operibus, convertamur ad illud de Imaginibus, quod Graece non exstat et nunc primum Arabice editur.

IV. De Codice.

Codex hic in Museo Brittanico indicatur numero 4950. Or. et nuper comparatus est. Cl. Douglas, qui in hoc Museo codicibus orientalibus comparandis custodiendisque praeest, pro sua humanitate atque summa comitate mihi permisit ut inspicerem codicem antequam in catalogo adscriptus, vel religatus erat, certiorem quoque me reddidit illum anno 1895 a Museo Britt. acquisitum, ex ipso Oriente allatum esse, de aliis vero rebus reticendum esse duxit. Hic codex $7^7/_8$ digitorum Anglicorum (inches) longitudinem, $6^1/_4$ vero latitudinem non excedit. Est membraneus (vellum) et bene conservatus, desunt tamen initio duo folia, cum folium ultimum vetustate corrosum et ab ipso

1) Opera. B. XV, p. 342—426. 2) Migne Ser. Graec-Lat. XCVII.
3) Bibl. Or., II, 292.

volumine separatum, magnas habeat lacunas. Numerus foliorum est 238; quaterna folia inter sese erant conjuncta ita ut 30 كراريس efficerentur; una et viginti lineae sunt scripta in quavis pagina. Antequam codex resartus, religatus atque restauratus fuit uti nunc est, duabus tabulis ligneis, iisque sat crassis includebatur, super quas corium inductum erat, tergo autem liber omnino carebat. Codicis argumentum in duas dividitur partes, quarum una multo major est quam altera, illa enim 198, haec 40 foliis constat [1]). Pars prima, cujus auctor et titulus nescitur, cum duo folia initio desiderentur, ut jam supra indicavi, continet systematicam quandam fidei Christianae expositionem, XXV capitulis absolutam, toti operi index praefigitur, quibus quid contineant, praecise indicatur. Ipsius operis exordio historia Christianismi brevissime adumbratur, duo concilia occumenica (Nic I, Const. I) laudantur, symbolum niceno-constantinopolitanum recitatur, tum in modum apologiae contra infideles et Judaeos tota doctrina Christiana per partes demonstratur. Auctor monophysitismi placita sequitur. Tum demum capite XXV° additur magnus numerus canonum hinc inde collectorum cum ipso opere non cohaerentium etiamsi caput canonum in indice praefixa indicatur, sic incipit:

قال الرسل والاباء فيما حُرم على اهل النصرانيّة من الماكل والتزويج والخلطة بالغرباء قالت الرُسل الخ

Incipit capitulum primum:

(القول الاول) الحمد لله الذى لا مبتدأ له ولا منتهى خالق الخلق لا من شىء بل بدعةً كان خلَقُه اياه خَلَقَ الانسان فاكرم خلْقَه وحبّاه بما ظلّت عليه السماء مما فى البرّ والبحر وما اقل الهوى. لم يرد منه جزآء الّا الانصاف والا صلاح المَوَدّة فيما بينهم الخ

Ex ipso fuso dicendi genere et ex argumentandi ratione contra Muslimos, statim cuivis hoc opus inspicienti patebit, hic non

1) Notandum: Textus saepe ab alius scribae manu emendatus est, quae emendationes in margine positae, manu velociore secundum nashicam scribendi rationem sunt exaratae.

agi de quodam ex Graeca vel Syriaca lingua translato opere sed de dissertatione cujus auctor inter Arabes commorans, Arabica lingua bene pollebat. Sed mittamus hanc partem codicis ut ad id quod pro nostra re maximi momenti est veniamus, scriba enim annum locumque quo scribebat in hujus partis fine indicavit. Cum vero utramque partem ab eadem manu exaratam esse nemo, qui codicem inspexerit, infitias ire possit, totius codicis i. e. alterius etiam partis aetatem compertam habemus, tametsi post alteram partem idem suum nomen quidem scripsit sed annum locumque omisit. In fine primae partis haec legimus تمّ المصحف

بعون الله وقوّته ونعمته وكان كمال كتابه فى اول يوم من دقمبرس
يكون من حساب سنى الدنيا على ما يُقبل فى كنيسة القيامة ببيت
المقدس سنة ست الاف وثلثماية وتسعة وستين ومن سنى الاكسندرس
سنة الف ومائة وثمنية ثمنين ويكون من سنى العرب فى شهر ربيع
الاوّل من سنة اربع وستين ومائتين ✿ كتبه الخاطى المسكين الحقير
اصطافنى بن حكم يُعرف بالرملى فى سيق مارى حريطن لمعلّمه الاب
الفاضل الطهر الروحانى انبا بسيل عمره الله. اذا انت قرات فاذكرنى
لا تَنْسَ لا نسيك الله واقامك عن يمينه وأسمعك ذلك الصوت الذى
المحبوب المفرح اذ يقول تعالوا يا مباركى أبى رثوا المُلك المعدّ لكم
من قبل إنشاء العالم يكون لنا ذلك بشفاعة مرتمريم الطاهرة ومارى
يحنا وصلوات جميع الأباء الابرار امين وامين

De Sancto Chariton et de voce سيق [1]) jam docte disseruit cl. Burkitt in The Cambridge Philological Society et hic cl. vir scite ammadvertit nomine propria graeca non secundum longitudinem vel brevitatem vocalium sed secundum accentum Graecum Arabice esse reddita. Series annorum post mundum creatum, quam scriba sequitur et in ecclesia Hierosolymitanam esse acceptam dicit,

---

1) De qua infra و in ى mutari passe fortasse argumento est استيقنت quod his occurit pro استوقنت. Cap. VIII post loc. Euseb. et Cap. XV circ. med.

illa est quam computaverunt Anianus et Panodorus, Alexandrini, et ab anno 5492 a. C. n. initium sumit.

Sed de literarum formis dicamus. Mirabitur fortasse, qui primo aspectu vel quasi praeteriens codicem nostrum inspexerit quod tam antiqua et fere cufensi scribendi ratione conscriptus sit; qui vero literarum arabicarum imagines easque praesertim christianarum consuluerit, quas Societas Palaeographica Anglica [1]) edidit, vel eas quas cl. Gibson [2]) aliique in Studiis Sinaiticis textui addiderunt vel eas denique quas cl. Fleischer [3]) et Gildemeister [4]) recensuerunt, facile sibi persuadebit Arabes Christianos saltem in Asia pecularem sibi scribendi modum consilio servasse, eosque sec. IX. X. XI cum Muslimi jam diu scriptura illa rotundiore et velociore, quae Naschī dicitur, utebantur, adhibuisse antiquas illas literarum formas quadratas et angulares, quae prima specie Syriacas in memoriam revocant et inter antiquissimas cufenses et naschicas medium tenent locum, cum a formis maghrebinicis non longe distent. Cui vero codicem nostrum cum aliis hujus aetatis libris, Christianorum manibus exaratis, comparare lubuerit, ultro fatebitur illum mira cum his similitudine frui. Prae ceteris vero Christianis codicibus animadvertas velim illum cujus imago in fronte libri III Stud. Sinait. exhibetur, quae ad Evangelia scribenda adhibita est, cujus tamen aetas non indicatur. Sed codex ille Sec X^{i} Universitatis Lipsiensis, quem cl. Tischendorf ex primo itinere Orientali attulit et pars illa lectionarii [5]) quam ex secundo itinere Tischendorfii habemus nostro codici simillima sunt. Notatu dignum codicem illum rescriptum et alterum anno p. C. n. 885 exaratum et a Fleischer sub N^{0}. IV. recensitum ex monasterio S. Sabbae originem ducere ubi olim S. Joannes Damascenus vitam

1) The Palaeographical Society. Facsimile of ancient MSS. Oriental Series. London 1877. N°. XX et LXXVI.

2) Catalogue of the Arabic. MSS. in the convent on Mount Sinai by Margaret Dunlop Gibson.

3) Z D M G. 1 Band, pag. 148 „über einen griechisch-arabischen Codex Rescriptus der Leipziger Universitäts-Bibliothek". Cum Specimine literarum in fine fasciculi II.

4) De Evangeliis in Arabicum ex Simplici Syriaca transl. Bonn 1865 cum spec. lit. ad pag. 7.

5) Z D M G. B. VIII, ann. 1854, p. 584, cum spec. adj.

degit et in quo Theodorns, quippe ejus discipulus, haud dubio aliquamdiu moratus est. Sicut in codice rescripto ita in nostro, sub litera ح ut a ج et خ distinguatur, altera parva ح vel tantum signum (scriptum est. Puncta diacritica in utroque codice summa semper cura literis adduntur, in hoc autem codices discrepant quod in nostro, non in altero, سّ scribitur loco ش, cum in lit. ث puncta trianguli formam retineant. Interpuncta verborum triplicis sunt generis: crux, quae quattuor circulis, inter sese lineolo junctis, efficitur, ponitur ante et post indicationen numeri capitis, et saepius post adumbrationem argumenti cuivis capiti praemissam. 2o. Quattuor puncta ita posita ⁘ 3o. Unum punctum in media linea, usitatur fere ubi nos »comma" adhibemus. De orthographia haec indicanda. Uti plerumque in codicibus supra laudatis, signa Hamza et Tešdîd et puncta ة finalis omittuntur, videtur tamen Tešdîd indicari Cap II ad finem ubi حمّق invenimus 1). Plurimas res quas codex noster cum codice rescripto Fleischeri communes habet, hic enumerabimus: In utroque codice signum Damma, quod, aliis omissis, unum ponitur, fere semper a sinistra ponitur literae ad quam pertinet. Capitula nomine راس indicantur, quae vox in lexicis adhuc desideratur, procul dubio a syriaca voce ܪܫܐ derivatur et in codicibus Christianis non infrequens videtur. Vox سيق i. e. Laura in utroque codice occurrit, et vox احواس loco حواس.

Ja finale semper ا scribitur. In Fut. Apoc. et in Imperativis verborum cavorum و et ى interdum ponuntur, interdum omittuntur, ita utrumque scribendi modum قم et قوم; قل et قول invenimus, et لم يكن et لم يكون. In verbis ultimae ى mediae Kesra, haec litera ante vocalem non abjicitur: نهيوا لقيوا. Loco س adhibetur سا ut significationem futuri مضارع tribuas. Scribitur اوليك loco أولائك et postremo: occurit vox نعماً significatione: valde, optime, summo jure. Aliis vero in rebus codex noster a cod. rescripto discrepat. Post و finale semper ا scribitur ita: تَنْحُوا اسرائل بنوا, يَدْعُوا. Scri-

1) In voce سللم duplice litera Tešdıd indicatur.

bitur منجل loco من أجل, quam scribendi rationem saepissime in cod. christ. inveniri cl. Gibson [1]) animadvertit, praeterea in poematis prima litera vocis أجل saepius in Elif waslatum mutatur. De ipsa Theodori dicendi ratione si agatur, fateor illam vulgariorem esse et recentiori idiomati non omnino disparem; attamen si libellum istum cum aliis libellis Christianis ejusdem fere aetatis (codice rescripto v. gr.) conferas, hunc dicas esse vetustum atque probum. Nam (1) Conjunctivus et Indicativus ab eo sedulo distinguuntur (2) Casus, quoad erui potest ex اً post acc. sing. indef. et ex vocibus أباؤ et ex sex illis اخ اب sc., casus dico, secundum grammatices regulas adhibentur. Quod bis vel ter اً omittitur et quod ياخونا [2]) dicit, lapsus calami vel menda scribae habendum est. (3) Dualis et in verbis et in nominibus indicatur. (4) Elif prostetico in recenti idiomate tam frequenti, non utitur, si forte احواس excipias. (5) Verbum si subjecto praecedit in singulari ponitur, semel tantum hoc in casu plurali usus est. Sed in hoc a recta dicendi ratione declinat quod مِنْ et بيَن, انْ et بَيْن saepius confunduntur ita ut quod discrimen inter ea esset non intellexisse videatur. Idem sonat quod لما semel pro لم usurpatur, cnfr. cod. rescr. Praeterea vulgarem linguam sonat ايشى loco اى شىء; usus frequens phraseos بتّة — لا; usus verbi شبه in forma prima cum significatione se praebendi similem. Syriacum idioma sapit non tam vox مارى (scribitur saepius مر vel مار) quam voces مرتمريم. Vox ميمر, etsi in lexicis adhuc desideratur, ex Syriaca voce ܡܐܡܪܐ, cum plurali ميامر, in codicibus Christianis tam frequens est ut non sit cur fusius de ea dicam. Nomen urbis Jerusalem, saepius اروسلم scribitur quam اورشليم, formam ergo graecam induit. In afferendo loco Isaiae Cap XXVIII sec. LXX vocem Syriacam ܩܠܡܘܣܐ voce قلاقم Arabice reddidit vel potius

---

1) Stud. Sin. N°. V. Introduction to the Preaching of Peter, pag. XX. Al-Mufassal ed. J. P. Broch. Edit. II, pag. ٣٠ Noeldeke. Delectus carminum Arab. Berlin 1890, pag. 13, lin. 13.

2) Dicit alio loco باخانا.

dicam transscripsit. Ceterum, quamquam auctor noster vocibus sat vulgaribus omnibusque notis utitur, has tamen nullus lexicista indicavit: سوطلة, quae vox bis occurrit, utraque vice in versionibus e graeca lingua ad reddendam vocem στήλη (quam latine quidam verterunt basis) et سوطلة لا نفس لها pro ἄψυχος στήλη = inanimata statua. Altera vox est ملاطة iterum ad vertendam vocem graecam ζῆλος; cum graeca voce μελέτη vel Syriaca ܡܠܛܬܐ conjungi fortasse potest. Notanda quoque forma حجوج, quae habenda est sive pluralis vocis حجة, sive infinitivus verbi حج. In locis biblicis laudandis ad librorum nomina indicanda, obviis usus est vocibus praeter النواقص ad designandos libros Chronicorum; ex nomine Graeco forsan i. e. παραλειπομένων orta sit; verisimilius autem ex Syriaca ([2] ܡܫܬܒܩܢܐ derivanda est, ita enim hi libri a Syris interdum vocantur, ut Payne Smith affirmat.

Nemini mirum videatur in nostro codice qui ex Aegypto originem non ducat, occurrere vocem أنبا quae tamen a Coptis ad designandos sacerdotes praelatos usurpetur, nam Antonius Baġdādensis v. gr. qui anno p. C. n. 885-6 folia pergamena scripsit, a cl. Fleischero sub IV, Z D M G. VIII, p. 587 recensita, eodem nomine انبا insignitur etsi Coptus non erat, videtur ergo vox illa etiam extra Aegypti limites esse adhibita. Praeterea innumeri codices carschunici, quae certe in Aegypto non sunt exarati, voce ܐܢܒܐ utuntur. In disputatione cum Hārūn Calipha Abu-Ḳurra Mār appellatur.

Syntaxin miram, ab Arabico idiomate plerumque alienam habet Theodorus; sic usurpat copulam و vi et significatione »autem, etiam", qui usus et graecum et Syriacum idioma sapit, cum ܘ et καὶ vim adverbii »autem" et vim climacis »etiam" habeant [3]).

Saepius pronomen personale repetit in verbi forma jam inclusum fere ut Latini et Graeci »ipse" αὐτός, semel vero tale pronomen voci إيّا adjungit, non ut accusativum indicet, sed ut pronomini

---

1) Cnfr. Catalogum. Biblioth. Sin.

2) Vel ܡܫܬܒܩܢ̈ܐ (all. a. Brockelmann. Lex Syriac.).

3) Noeldeke. Syrische Grammatik. Leipzig 1880, § 339.

majus pondus addat. Animadvertas demum usum vocis كان in his enuntiationibus أَبْدَى قوّتَه لِلحفيةَ كان فعْلُ (2) كان عن من يراه نلك بقول الله كان لموسى (3) سجد حزقيال لله الجالس كان على الكرسىّ (4) طِلاق النساء المأْذونُ فيه كان من موسى (5) بخلاف قوله كان فى الناموس (6) ليست منزلتُها عند الناس كمنزلتها كان قبل وقوع الكتابِ (7) حتى أُنطر كان يغضب أمْ لا. Haec legenti statim in mentem venit Syriacum illud ܗܘܐ encliticum, fortasse participium cum articulo ponitur pro participio syriaco cum ܕ, ita سجد لله الجالس كان على كرسى esset pro Syriaco ܣܓܶܕ ܠܐܠܗܐ ܕܝܳܬܶܒ ܗܘܐ ܥܠ ܟܘܪܣܝܐ. Etsi igitur barbari idiomatis vestigia non desunt, ita ut cuivis legenti prima specie versio quaedam esse videatur, tamen persuadere mihi non possum opus nostrum ex alia, vel dicam potius Graeca, lingua in Arabicam esse translatam, nam cum hac conjectura vehementer pugnat

V. Libelli Argumentum.

Nullam omnino rem famosae luctae de Imaginibus, quae totam Byzantinam regionem deturbavit, tangit; id quod in opere Graece i. e. pro Graecis scripto, mirum esset. Porro auctor Ḳur'ānum se cognovisse indicat, quem bis laudet et id etiam ad verbum. Tautummodo contra Judaeos et Muslimos disputat, Muslimorum autem nomen in toto libro ne semel quidem enuntiavit sed summa prudentia eos اليهود وغيرهم vocavit; quae res superflua fuisset, si graeco sermone scripsissit. Joannes Damascenus, Graece loquens, talem prudentiam non adhibuit. Theodorus res Judaicas in Hierosolymis optime cognovit, nam de lapide dicit, quem ibi venerarentur, si ad illum, utpote in Moschea »Rupis" collocatum penetrare sinerentur. Praeter unam vocem ارثذكسية 'Ορθοδοξία. nulla vox reperitur quam Theodorus ex Graeco idiomate desumpsit, e contra illud أَلَا ترى quod sexcenties occurrit procul dubio ex graeca lingua originem non ducit. Denique si opus ex Graeco Arabice esset versum, quomodo possent explicari loci S. Scripturae, quae non ex LXX sunt desumpti, e. gr. vox قلا قم?

Cur stilo interdum tam barbaro usus sit, satis eo explicatur quod fortasse graece ut ita dicam cogitavit et quae cogitavit stilo non mutato, Arabice reddidit. De ipso argumento agamus: Auctor nobis tradidit qua ratione motus disputationem hanc conscripserit. Abba Jannes eum certiorem reddidit multos a veneratione sacrarum imaginum defecisse metu infidelium, qni ipsos perpetuo conviciis verberibusque hanc ob causam persequebantur. Itaque Theodorus hoc opusculum composuit et Abbae Janni dedicavit. Utrum recte fecerim vertendo ينه nomine Jannis certus non sum, possunt enim puncta diacritica alio modo poni et vox ipsa fortasse cum انبا conjungi, veritatis tamen specie non caret versio ʿAbba Jannes. Est enim nomen Syriacum ܚܢܢ, quod ab Assemani[1]) ܚܢܢ legitur, quod tamen يَنَّه verti non ita mirum esset. Iste Jannes sine dubio episcopatus munere erat insignitus, cum Theodorus de ejus magna pro Ecclesia cura loquatur, sed neque Le Quien neque Gams tale nomen in serie episcoporum annotat. Quisquis vero ille est, in dioecesi ejus videtur acris controversia de usu cultuque imaginum esse exorta et Christiani videntur summa exspectatione pependisse quid Theodorus diceret, uti in Cap. IX legitur. Praeterea controversia est acta non solum de imaginum cultu sed de omni προσκυνήσει alicui personae praestitae praeter ipsum Deum, sive Deiparae, sive Sanctis sive ipsis episcopis, quos sicut nunc flexis genibus honorant ita olim προσκυνήσει venerari assolitos fuisse Christianos videmus. Quibusnam libris Theodorus ad suum libellum conscribendum usus sit non facile est dicere, nam eadem argumenta, eademque testimonia apud plures auctores occurrunt et fere omnia in ipso Conc. oecum. VII enuntiata snnt, ex testimoniis vero illud dictum S. Greg. Naz.[2]) a nemine laudatum inveni; quod vero laudat ex dictis S. Athanasii (Cap. VIII) ex operibus spuriis desumptum est, sed eo tempore ab omnibus pro genuino habebatur, nam a S. Joanne Damasceno jam afferrebatur; Theodorus illud ex Damasceni Oratione tamen non exscripsit cum locum integrum det quod Joannes non fecit. Historia imaginis mulieris haemorroissae

1) Bibl. Or., II, 114. 2) Cap. VIII.

ad verbum ex Eusebio translatum est, ubi tamen capite XVIII non vero XVII invenitur, a Joanne Damasceno tradita, et ab Antipatro Bostrensi Sess. IV[a] praelecta est. In eadem sessione narratio de imagine Christi [1]), a Judaeis lanceā confossā, Patribus lecta est. Utrum Theodorus locos Biblicos quibus utitur, ex quadam illius aetatis versione desumpserit, an ipse eos ex Bibliis non Arabicis transtulerit me nescire fateor, loci enim allati a versionibus nobis cognitis, praesertim ab eis in Bibliis Polyglottis editis haud parum discrepant. Versione Heracleensi eum usum esse verisimile non est, cum catholici hanc versionem a Monophysitis exaratam non adhibuerint. Praeterea si ipsum textum Heracleensem conferas, illum a textu a Theodoro usitato multum differre videas; etsi utpote ad normam versionis LXX confecta, interdum cum Theodoro consentit, qui LXX versionem non semel respexit. Nec dubium mihi esset Theodorum semper LXX esse secutum, nisi duplex obstaret difficultas: usus vocis Syriacae قلاقم = ܡܩܕܡܢܐ, quae ex Peshito exscripta videtur; LXX habent *προμαχῶνας*. 2°). dicit Salomonem matrem suam adorasse et totum pondus argumenti in vocem adorandi cadit; LXX vero hoc in loco habet *κατεφίλησεν*, quod totum argumentum destruit. Nec Tischendorf [2]), nec de Lagarde [3]), nec Swete [4]) ullam hujus loci textus tradunt varietatem. Cl. Stier [5]) in Bibliis suis Polyglottis habet *προσεκύνησεν*, sed cur ita legerit non liquet, cum vero non unum quendam codicem secutum se esse dicat sed lectiones sua ipsius sententia eclectice constituisse, unanimem consensum textuum non-graecorum secutus esse videtur, relicta versione LXX. At vero Jerem. 61/60 et I Par XXIX 20. certe secundum recensionem LXX, ab aliis multum discrepantem allati sunt. Quae cum ita sint judicium ferre non audeo. Sed jam satis sum praefatus, ecce ipse libellus.

---

1) Cap. XVI.

2) Ed. Nestle. Vet. Test. Graece. Editio VII. Lipsiae 1887. Tom. Prim.

3) Librorum Canonicorum Pars Prior. Graec. Göttingae 1883, nec F. Field varian. lect. indicat in Originio Hexapl. Oxon. 1875. Tom. I.

4) The old Testament in Greek. Cambridge 1887 Vol. I.

5) Stier und Theile Polyglotten Bibel. Brelefeld. 1847. Tom. II.

Versio.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Unius Dei, roboris et illuminatoris mei[1]). Dissertatio quam fecit beatus Amba Theodorus, Episcopus Ḥarrān, cognomine Abu Ḳurra, qua statuitur cultum imaginum Christi Dei Nostri, de Spiritu Sancto et de Maria immaculata Virgine Incarnati, necnon cultum imaginum Sanctorum Ejus, omnibus Christianis esse necessarium; et contemptum, quo aliquis Christianus harum imaginum cultum rejecerit non nisi ex eo oriri quod quas Christiana doctrina continet res sublimes non intelligat; et si quis in hoc contemptu permanserit, alia etiam plurima, quae jam a. S. Apostolis fide integrâ Christiani acceperunt, mysteria, ei esse rejicienda.

Caput I. Significasti nobis, frater noster, Amba Jannes, Christianos non paucos cultum deseruisse imaginum Christi Dei Nostri, cujus tamen imago effingi potest, cum, nostri misertus, propter nostram redemptionem incarnatus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; et imaginum Sanctorum Ejus, qui a Spiritu Sancto corroborati, jam in[2]) stadio cucurrerunt et participes passionis Christi[3]) per patientiam sese exornaverunt ornatu crucis Ejus et nunc fidelibus nobiles duces existunt, quorum recordatio eos incitat imitandi cupiditate et eandem ac illi coronam sibi comparandi. Hoc (accidisse putas) quod fidei Christianae hostes et ii in primis, qui librum a Deo revelatum se habere volunt, propter hunc imaginum cultum Christianos

---

1) Ps. XXV.
2) I. Cor. IX, 24.
3) I. Petr. IV, 13.

conviciis insectari non desinunt eosque quasi idola adorarent et praeceptum Dei violarent, quod in Lege et in Prophetis contineatur, criminantur atque illudunt. Quibus de rebus rogasti ut conscriberemus dissertationem, quâ ignominiam in eos repelleremus qui nos criminantur propter rem nulla reprehensione dignam; quâ quoque hominum animos, ab hoc sacrarum imaginum cultu deterritos, reduceremus ad hunc cultum praestandum secundum morem ratum et firmum, quem induxerunt et laudaverunt patres nostri, Spiritus enim Sanctus eis benedixit eosque docuit sapientiam coelestem, spissa caligine absconditam a mentibus sapientium hujus mundi, quorum sapientia mera stultitia est cum Sanctorum humillima scientiâ comparata. Laudo itaque sollicitudinem tuam et approbo consilium tuum, non vero mihi confisus, ac si uni ex Christianis minimum auxilium in iis quae ad fidem pertinent praestare possem aut injuriam ab eis avertere, si quis barbarus, administer Satanae, linguam moveat ut scrupulum hac de re in eorum animos injiciat, sunt enim illi barbari homines ad fallendum parati, perditi, nefarii — sed confisus precibus tuis, quas profecto Christus non spernet, si tantummodo respiceret curam quam geris de Ecclesia, Ipsius Sanguinis effusione redemptâ et quod nos e somno negligentiae nostrae excitasti, ne inutile fieret pretium ab Eo solutum, quapropter tu dignus es, cui lux e coelo affulgeat, dispellens caliginem propter meum peccatum immissam.

Caput II. Si quis itaque imaginum cultu abstinuerit propter barbarorum in eas odium, alia etiam Christianae doctrinae mysteria ei esse rejicienda, quippe quae non minus ab illis respuantur. — Priusquam de aliis rebus dicam hoc mihi mirum esse fateor, cur illi Christiani, quibus alienorum hominum derisus ita in visceribus haereant ut per eos ab harum imaginum cultu deterreantur, cur non eodem modo se gesserint erga aliam totius doctrinae Christianae partem, quam illi reprobant, sed illis rebus contenti esse perseverant, quamvis acriter in illas invehatur, etiamsi istorum approbatio aliarum rerum ab illis

reprobatarum non minor sit quam detestatio quâ illi eas prosequuntur. Quantopere Christiani illi in errore versentur et mentes eorum quam obcaecatae sint, satis ex eo elucet quod sibi non constant similia similibus in ipsorum mentibus non comparantes. Quid dico similia? Sunt potius aliae res Christianae, quae adversariis multo turpiores videntur. Quis enim illorum Christianos si audit dicentes Deum habere Filium consubstantialem, insanire non dicet? Porro cum dicentes audit Deum, quamquam Filium ex Eo natum habet, tamen illo antiquiorem non esse, nonne mente captos eos esse putabit? Et si dicunt Patrem et Filium et Spiritum Sanctum singulos esse perfectum Deum nec tres esse deos sed unum Deum, nonne haec verba ei mera dementia videbuntur? Et si Christiani narrant hunc Filium aeternum in uterum descendisse Mariae in novissimo dierum, Eumque de ea carnem assumpsisse et natum esse, et si disputantes transferant sermonem ad Christi infantiam et fugam in Aegyptum, propter Herodem et Ejus obedientiam erga Patrem et quomodo jejunaverit et oraverit et petierit a Patre ut transire sineret ab Ipso calicem, calicem mortis et quomodo Judaei Eum apprehenderint, quibus injuriis Eum affecerint, quomodo Eum cruci affixerint et quae Ipse dixerit a cruce pendens: ,Deus meus, Deus meus quare dereliquisti me' nonne barbari eos plane alucinari putabunt et somnia dormientis ad veritatem propius aecedere quam quae illi nugentur? Quid tandem, putas, dicent qui Christianos vident panem et vinum perferre in Sanctuaria, verba quaedam super haec oblata efferre statimque ea adorare dicentes: Hoc est caro Christi et Sanguis Ejus, quamvis barbari illa oblata mutata non videant sed ea auferri cernant sicut asportabantur. Quid, si videant nos aquam in piscinam infundere, quibusdam verbis aquae benedicentes, tum vero hominem in eam immergentes, statimque eum ex ea emergere jubentes, tum demum dicentes: ,Hic homo fuit vetus et naturâ corruptibilis, antequam in hanc aquam immergeretur, at nunc factus est ex

filio carnis filius Dei', alia hujusmodi, quae barbaris horrorem injicere eosque a Christiana fide quam maxime deterrere solent. Christianis ergo quibus stulta barbarorum verba molesta sunt et qui cultum imaginum rejiciunt, ab aliis etiam quas enumeravimus rebus Christianis propter istorum convicia est abstinendum. Non immerito: Verbum[1]), inquit S. Paulus, crucis pereuntibus stultitia est. Nec mirum, est enim placitis stultorum aeque ac sapientium contrarium. Quod cum ita sit, S. Paulus ita explicavit dicens: ,Ubi sapiens, ubi scriba, ubi doctus hujus mundi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, nam quia mundus sapientiâ quidem cognovit Deum sed non per sapientiam Dei, placuit Deo per stultitiam praedicationis vitam dare credentibus'[2]).

Caput III. Christianam doctrinam esse sapientiam divinam, quamvis mentibus sapientium hujus mundi stultitia esse videatur. Isti enim stulti, cum suam sapientiam omnino supremam esse ducant, Christianas res stultitiam vocant quippe quae contrariae sint sapientiae suae. — Videsne Deum praedicationem doctrinae Christianae stultitiam vocare, non quod ita sit, sed quia ita a sapientibus hujus mundi dicitur? sapientia vero hujus mundi illam praedicationem stultitiam non vocasset nisi Deus ipsam stultam reddidisset. Hoc autem Deus propterea fecit quod ista (mundana) sapientia altius eminebat, ii qui eam profitebantur omnes homines ingenii facultatibus superabant, cur etiam sapientes vulgo nuncupati sunt. Deus enim, cum Christianae doctrinae mundo manifestasset praedicationem, eamque mundanae Sapientiae aperte contrariam, quam igitur sapientiam esse non posse sibi persuasissent isti, Deus, dico, optime perspexit illam praedicationem apud istos non nisi stultitiae nomen mereri, nam quidquid (putativae) sapientiae adversatur, stultitia necessario putatur. Sed revera Christianae doctrinae praedicatio haec ipsa est vera sapientia, cui si mundana sapientia comparatur, stultitia est

1) I. Cor. I, 18.
2) I. Cor. I, 21.

agnoscenda. Ita Paulus[1]: „Loquimur, inquit, sapientiam inter perfectos, sapientiam vero non hujus mundi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio“ et[2]) „Sapientia mundi stultitia est apud Deum“. Quae cum ita sint, ne grave sit Christianis eorum fidem a mundi sectatoribus stultitiam dici sed intelligant istos stultitiā obcaecatos stultam vocare Christianam doctrinam quae ipsa perfecta Sapientia est, quae eorum mentibus ut ne attingerent quidem praeclusa est, nemo enim ad eam perveniat nisi per Spiritum Sanctum sicut dixit S. Paulus[3]: „Nemo potest dicere Jesus Dominus nisi per Spiritum Sanctum“ nec dignatur Spiritus Sanctus descendere nisi in cor humile et superbiam omnino rejiciens. Nec mirum quod, si quis scientiae mundanae peritus sit, ille suae scientiae nullam scientiam praestare putat; sicut S. Jacobus[4]: „Quis, inquit, sapiens et eruditus inter vos? Ostendat ergo praestantiam suam bona conversatione in mansuetudine sapientiae. Quod si in cordibus vestris invidiam sentitis et zelum amarum, nolite gloriari adversus veritatem, non est enim ista sapientia desursum descendens sed terrena, animalis, diabolica.“ Videsne sapientiam terrenam dici animalem, animalem vero hominem non percipere ea quae sunt spiritus cum ei stulta videantur, sicut S. Paulus[5]: „Nos, inquit, spiritum mundi non accepimus sed spiritum quae ex Deo est ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis; quae loquimur non in doctrina verborum humanae sapientiae sed in doctrina Spiritus Sancti spiritualia spiritualibus comparamus, cum animalis homo non percipiat doctrinam Spiritus Dei, cum ei stultitia sit.“ Ne ergo aegre ferant Christiani quod Christiana mysteria stulta dicuntur a barbaris, sunt revera spiritualia, divina, caelestia, nam qui ex istis barbaris suae scientiae peritissimus existeret, nihil nisi animalis

---

1) I. Cor. II, 6.
2) I. Cor. III, 19.
3) I. Cor. XII, 3.
4) Jac. III, 13.
5) I. Cor. II, 12.

diabolicus stultissimus esset, nec Christianos decet talium hominum ludibriis terreri et propter istos abstinere a cultu imaginis Christi Dei Nostri Incarnati et imaginum Sanctorum Ejus, qui cultus a Spiritu Sancto est constitutus et in Ecclesia invaluit, sicut demonstrabimus, si Deo placet.

Caput IV. Miramur cur illi barbari, qui in libros Veteris Testamenti credunt, mysteria Christiana propterea improbent quod mens carnalis ea rejiciat, sunt enim in eorum libris quoque plurima, quae a mentibus carnalibus haud alio modo respuantur, at de his nullo modo dubitant. Quod ad infideles pertinet, qui partem tantum librorum a Deo revelatorum accipiunt, hoc maxime mirandum in ipsis eorum libris plures res occurrere, quae stultae vocantur ab hujus mundi sapientibus, quorum mentes sese nulli fidei submittunt, quae res vel etiam majore ludibrio afficiuntur quam res Christianae, quas reprobant. Illis tamen rebus Judaei animos submittunt quamvis similia sint quae ipsi in Christiana doctrina rejiciant. Nam quis, cujus mens omnem fidem respuat, non rideret cum audiret Deum ex nihilo res creasse, Eumque, cum res fieri vellet, tantum dixisse: Fias et res esse factas; quis non ludificaret si audiret Hevam ex costa Adami prodiisse? Vel quomodo putas mentes eorum accepturas esse quod in Libro scriptum est: serpentem locutum esse [1]), locutam esse asinam Balaam [2]); uxorem Lot in statuam salis esse transmutatam [3]), virgam Moysis in colubrem [4]), Saram peperisse etsi sterilis esset et cum viro coiisset, cujus tempus generandi jam praeteriisset [5]), virgâ Moysis mare esse divisum [6]), flumina e petra profluxisse [7]), rubum in quo Deus erat, igne

---

[1]) Gen. III, 1.
[2]) Num. XXII, 28.
[3]) Gen. XIX, 26.
[4]) Ex. IV. 15.
[5]) Gen. XXI, 2.
[6]) Exod. XIV, 16.
[7]) Exod. III, 2.

arsisse, sed non esse combustum[1]), viros in fornacem ignis esse conjectos nec tamen igne esse laesos, Jonam per tres dies et tres noctes in ventre piscis vixisse eumque postea a pisce esse evomitum, salvum atque incolumem[2]); Na'aman Syrum leprā esse solutum, cum in Jordane flumine sese lavasset, Elisei mandatum exsecutum[3]); ferrum securis aquae innasse, in quam Eliseus lignum injecisset[4]); stetisse solem et[5]) rediisse, plura hujusmodi. Quid? Qui haec ipsa credunt, num ignorant sapientes hujus mundi, qui sibimetipsis majores videntur quam ut fide opus habeant, ipsos propter has res stultitiae accusare et hoc quidem acrius quam Christianos propter ea quae in eis reprobant, criminantur? Oportet eos vel ipsos illud non accipere quod reprobant vel illud non reprobare quod ipsi accipiunt.

Caput V. In Veteri Testamento de Deo scripta esse quae mentibus fidem respuentibus absurdiora et turpiora videantur quam ea quae de Christo dicta sunt et in quibus offensi sectatores Veteris Testamenti, Christum Deum esse non posse perhibeant. — Idem objicitur contra eos, qui praeter Judaeos doctrinam aliquam accipiunt. Christianos recte agere qui Vetus et Novum Testamentum accipiant et utriusque veram significationem perspiciant. Illi, qui in Prophetas credunt sed Evangelium rejiciunt, neglegunt, quae in libris Prophetarum de ipso Deo enuntiantur, quae cum mens animalis audiat, ingenti horrore perhorrescit. Quis enim, animum habens fidem rejicientem, accipiat quod in Sacris Libris scriptum invenimus[6]): Deum in Paradio perambulasse[7]), Eumque odoratum esse adipis tostae odorem, Deumque poenituisse quod homines fecisset, Eumque in civitate Babel linguas hominum divisisse, Eum apud Abraham

[1]) Daniel III, 50.
[2]) IV. Reg. V, 1.
[3]) IV. Reg. VI, 5 ss.
[4]) Josue X, 12.
[5]) Isaias XXXVIII, 8.
[6]) Gen. III, 8.
[7]) Gen. VIII, 21.

divertisse, manducasse et bibisse et Abrahamo dixisse[1]: Clamor Sodomorum ad me ascendit et descendi ut sciam utrum res se ita habeat uti pervenit ad me, necne, ut sciam[2]), Deum stetisse super scalam et inde Jacob allocutum esse, Deum descendisse in montem Sinai; Eumque dixisse[3]: Nemo me vidit et vivet; quo verbo autem non obstante, Moysen cum[4] Deo collocutum esse, ut quis cum familiari colloquitur; Deum descendisse in columnam nubis super Tabernaculum temporis[5]; et Moysen dixisse: Deus noster est ignis consumens[6] et illum locum[7]: Deum castra filiorum Israel perambulasse eisque praecepisse ut castra munda servarent a stercore, ut ea perambulare posset? Vel quis acciperet quod a Daniel[8] dicitur: Deum esse antiquum dierum et Ejus capillos esse similes lanae mundae, vel quod est apud Ezechielem[9]: Deum sedisse super thronum in similitudine hominis, et fuisse a lumbis sursum sicut lapidem[10] lazuli et a lumbis deorsum sicut ignem? Daniel quoque propheta dicit se vidisse Dominum[11] stantem in ripa fluminis. Dicit iterum[12] Ezechiel Dominum sibi Jerusalem sponsam accepisse et cum contra eum esset fornicata, repudiasse, sed apud[13] Osee Prophetam scriptum invenimus Deum eam iterum sibi in sponsam adsciturum, cetera hujusmodi. Nonne haec omnia recordaris,

---

1) Gen. XVIII, 20.
2) Gen. XXVIII, 13.
3) Ex. XXXIII, 20.
4) Ex. XXXIII, 11.
5) Tabernaculum testimonii ab Arabibus ita vocari solet.
6) Deuteron. IV, 24.
7) Deuteron. XXIII, 14.
8) Daniel VII, 9.
9) Ez. I, 26.
10) Ez. VIII, 2.
11) Hic error quidam observatur; nullam enim talem rationem Amos narrat, eum Danielem dicere voluisse puto, visionem illam grandem enim hic propheta narrat ab angelo datam esse, super aquas fluminis magni Tigris stante, hic angelus a Theodoro nostro ipse Dominus fuisse putatur.
12) Ezech. XVI, 7 ss.
13) Os. II, 19.

Judaee? Veles ergo caput tuum antequam res Christianas irrideas. Si quis autem aliam ac Judaeus doctrinam sequens, dicat se illa omnia non accipere, procul dubio et ille ipse Deum in throno sedere contendet et Deum manus et faciem habere vel hujusmodi dicet, quae singula hic scrutari longum est. Cum itaque hisce verbis, quae corporea sunt, Deo attribuat, alia quoque cum his necessario conjuncta Deo attribuere velit nolit necesse habet; si hanc descriptionem rhetorice tantum et non sensu proprio ad Deum referri contendat, optime! si haec vero sensu proprio ad Deum pertinere dicat, jam fatetur et alia de Deo sensu proprio dici, quae ab ipso reprobantur. Haec ergo Judaeis dicta sint aeque ac aliis qui doctrinam sibi vindicant, quaecumque demum Dei attributa utrique admittunt. Cur igitur gaudetis Christianis haec in crimen verti cum similia vel quae absurdiora videntur ipsi accipiatis? Nonne haec iniquitas et stultitia est? Quod autem ad nos Christianos, ecce nos credimus gratia Spiritus Sancti adjuti, in Vetus et Novum Testamentum, et utriusque ortum et originem eandem esse agnoscimus et omnia, quae in eis continentur, secundum hanc rationem intelligimus. Profecto quidem immateriales proprietates mentibus nostris Deo vindicamus sed etiam agnoscimus Eum, misericordia motum, descendisse ad aliquid aliud, quod figura esset abstractae suae substantiae, et in quo redemptio nostra esset, et propterea grates Ei agimus. Mirari sane posses stultitiam quorundam inter nos; libri enim Sacri Judaeorum, nisi Christiani mentium spiritualium acumine eos instruxissent et adornassent, jam dudum omnibus hominibus ludibrio essent; Judaei autem de his libris non dubitant propter hominum reprobationem, at vero qui stulti sunt inter nos, avertunt facies a cultu sacrarum imaginum cum Judaei aliique illum turpem dicant.

Caput VI. Doctrinam Christianam non nisi propter miracula recipi; Deum his miraculis nunquam non eos excitare, qui ratione ducti ea vera miracula esse agnoscant; omnem Christianum in omnibus quae credat hoc suae fidei argumento necessario

inniti. — Quivis certe Christianus, qui hoc fecerit, optime scit doctrinam Christianam apud eos, qui eam profitentur, propterea constare, quod innituntur miraculis ab Apostolis in nomine Jesu Christi patratis et propter haec miracula ratio humana in Apostolorum favorem hoc tulit judicium: eos vere dignos esse quorum opera acciperentur, unâ cum testimoniis Prophetarum de eo quod Apostoli de Christo praedicabant, Prophetarum dico, quorum libri in Judaeorum manibus sunt, hostium praedicationis Apostolicae, et praeter praeclara illa concepta et conscripta quae scrutando assecuta erant acria ingenia philosophorum, qui sibi meruerunt ut a Deo in viam salutis ducerentur, cum veritatem sincera voluntate quaererent, ut Dionysius et Clemens et . . . . ceteri hujusmodi. Ex iis, quae nobis magno fructui fuerunt, praeclare dictis Sanctorum Patrum nostrorum dissertationes componere ausi sumus, quibus demonstravimus nostris temporibus a sana mente praeditis, nullum omnino librum accipi praeter Evangelium et omnia quae Evangelio confirmantur et haec quidem ob hanc ipsam rationem quod ab Evangelio confirmantur. Demonstravimus quoque homines omnibus rebus, quae Evangeli continentur, sese submittere debere, sive eorum mentes haec intelligant sive non intelligant, scimus enim Spiritum Sanctum semper justificare[1]) Christianos qui spiritualia spiritualibus comparant, ut ait S. Paulus, et qui ab humanae rationis legibus coguntur eas omnes res Christianas veras agnoscere, quas Judaeos aliosque propter caecitatem mentium abhorrere superius diximus. Qui autem virilem statum, quatenus ad intellegentiam attinet rerum spiritualium, nondum assecutus sit, eum oportet aedificare super fundamentum fidei et prudenti fide assentiri omnibus quae in Ecclesia de more sunt inde ab Apostolis, ut cultus imaginum Sanctorum, alia. Quod si partem doctrinae accipere jam coepit, et ea quae accepit et ea quae adhuc respuit a mente animali plane eodem modo respuuntur,

[1]) vel sese revelare illis Christianis qui-cet. si aliam lectionem praeferas.

adversus semetipsum probavit se religionis suae intellegentia carere, nec scire cur ea apud eum constet.

Caput VII. Demonstratur Imaginum cultum in Christiana disciplina haud infirmam habere originem, cum usus imaginum omnibus Ecclesiis communis sit; et ei, qui eorum cultum rejiciat, quod in Veteris et Novi Testamenti codicibus apostoli nihil de eis praecipiunt, alia etiam Christianae doctrinae mysteria esse rejicienda, quae haud alio modo se habeant. — Forsitan eorum quispiam dixerit: Quomodo autem scire possumus num cultus imaginum revera ex[1]) Apostolorum instituto in Ecclesia ortus sit si librum non inveniamus in quo de illis dicatur? Cui respondemus: plura, eaque res maximi momenti, nos habere, quae ad nos pervenere ad modum hereditatis, sed quae in codicibus Veteris et Novis Testamenti, ab Apostoli traditis, scripta non inveniuntur. Primo loco sunt verba illa, quae super oblata dicimus et quibus efficiuntur Caro et Sanguis Christi, tum baptismi liturgia et chrisma, tum consecratio ecclesiarum et Impositio manuum et pulsatio campanarum, veneratio crucis, alia hujusmodi. Si quis igitur cultum Imaginum Sanctorum non accipiat, quoad hujus cultus confirmationem in illis Veteris et Novi Testamenti codicibus inveniat, rejiciat oportet haec quoque quae enumeravimus; quod si fecerit, videat num Christianae disciplinae aliquid sibi reliquum remaneat, si vero ex exemplis allatis aliquid praeter cultum Imaginum accipiat, hunc ipsum cultum ne rejiciat. Nam ei sciendum est nullas hujusmodi res in Ecclesia communiores esse quam ipsas imagines, nulla enim regio per fidem meam ubi imagines Sanctorum non inveniuntur. Quod si hic usus communis non sufficiat quo imagines a primis ecclesiae temporibus originem ducere probentur, jam in eo est ut aliae, quae eodem usu fruantur, res rejiciantur et adventiciae esse perhibeantur. Attamen si Christianae disciplinae arcis jam tale moenium spatium nudatum est, mox subruetur tota, sed absit ut Christus ecclesiam suam propterea deserat. Satis superque diximus ut eos, qui a

[1]) Sensn primitivo emissariorum.

cultu imaginum horrentes sese averterunt, ad illud reducamus quod nullo jure exprobraverunt.

Caput VIII. Testimonio Doctorum probatur imagines in Ecclesia adhiberi ex institutione Apostolorum, earumque cultum esse necessarium; in Ecclesia enim Doctorum gradum nobilitate altissimum haberi nec dubium esse quin Christiani eis obtemperare debeant. — Si tamen cognoscere velis, quam firma sit in ecclesia Christi et Sanctorum imaginum cultus origo, audias quomodo de eo disserat illustris ille S. Athanasius Doctorum primus, qui in certamine pro orthodoxa fide quinque sibi meruit coronas, inconcussum illud Ecclesiae columen, in quaestionibus quas Antiochus praefectus posuit de illis rebus, in quibus putabat Christianam doctrinam contrariam esse Ecclesiae. Rogabat igitur Antiochus: Quo pacto, ait, crucem et imagines adoramus, quae opera sint artificum non secus ac ipsa idola, Deus tamen per prophetas opera manu facta adorari vetat. Cui respondit Athanasius[1]): Nos fideles minime colimus imagines eodem cultu quo Deum prosequimur, ac si idolorum cultores essemus, absit! Sed imaginem vel crucem tantummodo veneramur propter faciem ejus cujus imago est et propter nostrum erga eum affectum et amorem. Quam ob rem, cum imago detrita est, plerumque accidit ut quod olim imago fuit, ut merum lignum comburamus. Quemadmodum Jacob moriturus [2]) extremam virgam Joseph veneratus est, non ut virgae honorem tribueret, sed ei qui virgam manu tenebat, ita nos fideles imagines veneramur easque tangimus ut, sicut filii et parentes alterutrum osculant, ita et nos illum, qui in cordibus nostris erga eos est amorem palam ostendamus. Ita Judaeus olim venerabatur tabulas legis et Cherubim ex auro fusos, non honorans materiam auri vel lapidis, sed Dominum qui ea fieri jussit. Qui vero ob ingenii tarditatem crucem et imagines Sanctorum venerari superbi refugiunt, nobis dicant quo tandem pacto ex simulacris, imaginibus scilicet Sanctorum, Dei omnipotentis virtute saepius unguentum manare vel

---

[1]) Gen. XLVII, 31. [2]) Migne. Patrol. Graec. Tom. XXVIII, p. 597.

ex inanimata statua, telo confossa sanguis miro modo profluere posset ac si corpoream haberet naturam vel cur tumulis, reliquiis et imaginibus Sanctorum daemones saepe expellantur clamantes et ululantes. Ut vero istos insanos non modo verbis sed eventis confundamus, audiatis narrationem alicujus imaginis veram, quae ad nos pervenit a patribus Hierosolymitanis ex ore hominum fide dignorum, qui temporibus praeteritis fuerunt. Verum quendam asceticum molestabat daemon libidinis, eumque impetebat vehementer. Quodam itaque die hic spiritus ei visibili specie facie ad faciem apparens: Si velis, inquit, ut te non impugnem ne hanc venereris imaginem et a te discedam. Erat vero imago Dominae Nostrae, Sanctae Dei Genetricis Mariae. Vellem equidem scire quid ad haec dicendum habeant, qui a nobis sese separaverunt et nos statuas venerari vetant, imagines Sanctorum, quas monumenti dumtaxat causa sculpimus et Sanctorum similes facimus, ob nullam aliam rationem. Haec de imaginibus et statuis, ne longum fiat. Quod ad crucem attinet, manifestum est nos fideles illam venerari, salutare propter Christum, qui ei affixus est. Hactenus Athanasii verba. Eusebius vero, Episcopus Caesareae Palestinensis, qui historiam ecclesiasticam conscripsit inde a nato Domino Redemptore Nostro in Bethlehem usque ad Constantini Magni Imperatoris aetatem, commemorat in libro VII Caput XVII[1]) mulierem, quae ex sanguinis fluxu a Domino Nostro sana facta est et quam Paneensem fuisse dicit. Quo loco ita disserit Eusebius: „Cum autem hujus urbis mentionem fecerimus, non omittenda est narratio illa, plane digna quae posterorum memoriae tradatur. Mulierem enim, sanguinis fluxu laborantem, quam ex Sancto Evangelio a Domino Nostro ab hoc morbo sanatam fuisse didicimus in hac urbe vixisse contendunt, ejusque domum in urbe cognitam esse et beneficii a Domino ei collati admirabile monumentum usque ad hanc diem perseverat. Nam ante portam

[1]) Eusebii Caesariensis opera recognovit G. Dindorfius Vol. IV. Lipsiae 1861. pag. 315, Cap. XVIII.

hujus domus est statua aenea, effigies mulieris, figura genibus nixa, manibus supplicantis more expansis in similitudinem illius feminae sanguinis fluxu laborantis, quam Dominus Jesus Christus sanam reddidit. Exadversum est altera statua aenea, effigies viri recte stantis, induti diploïde manumque ad illam mulierem protendentis. Sub pede hujus statuae super basin nascitur herba quaedam, peregrina adspectu et ad oram usque diploidis, pervenit et haec herba omnis doloris medicamen est. Haec igitur effigies Redemptoris Nostri similis est et usque ad nostros dies permansit et ipsi nos eam oculis nostris vidimus cum in hanc urbem advenimus. Nec mirum quod hoc fecerunt, qui quamquam gentiles erant, a Redemptore Nostro beneficium acceperint, vidimus enim eos imagines pinxisse Apostolorum Petri et Pauli et ipsiusmet Christi, quae imagines usque hanc diem perseverant." Nonne Eusebius tibi demonstrat, has effigies et imagines inde ab aetate Apostolorum apud Christianos exstitisse et illud quod dicit, imaginem Apostolorum olim factam usque in illum diem perseverasse et imaginem illam Christi exstitisse, per fidem meam, illud demonstratur ex eo quod hae imagines certissime recognosci possunt ut effigies ipsorum Apostolorum et effigies Christi. S. Athanasius quoque te adhortatur ut eas venereris et narrat eas jam ante sua tempora in usu fuisse. Hic Athanasius, quin quemvis Christianum ipsius verbis cogat, nullatenus dubito, cum primus Doctorum sit nec inter illos aliquis eo eminentior inveniatur. S. Gregorius Theologus[1]) in sermone Christi die natali habito adhortatur ut praesepe venereris, quod Christi incunabile fuerit et ut lapides honores, qui a Christo tacti sint, cui omnis cultus debeatur. Haec autem contraria sunt ac quae tu stulte dixisti nefas esse ullam rem praeter Deum veneratione affici. Inde vero ab aetate horum Doctorum, quibus illustrior nemo erit, constat Doctorum gradum summum esse, eorumque dignitatem cuiquam gradui in Ecclesia praestare praeter gradum Apostolorum et Prophetarum; posuit Deus, inquit enim S. Paulus,

[1]) Greg. Naz. Or. 38. In Theophania. Migne. Patrol. Tom. XXXVI p. 312.

in Ecclesia Apostolos primum et post eos Prophetas et post eos Doctores. Hinc inter illos qui primos occupant gradus, maxima floruit potestas faciendi miracula, sed illos subsequitur gradus doctorum, quod est cur tanta sit eorum in Ecclesia dignitas. Quis enim Christianus, qui eorum instituta spreverit ex Ecclesia Christiana non expelletur et ovili Ecclesia extorris habebitur? Nam Apostolorum et Prophetarum verbum frumento simile est, quo homines non fruuntur dum non molitum remanet, Doctores vero similes sunt viro, qui ad illud frumentum molendum, depsendum, coquendum aggressus est ejusque vim in lucem protulit, occultam imperito, qui illud infectum vidisset, cum autem ille frumentum ita praeparaverit, homines illo vesci possunt. Quae cum ita sint, Deus Doctoribus dignitatem contulit eximiam eisque nomen dedit ‚Patrum' pro fidelibus. Viro igitur Christiano, qui sacras imagines veneratur, satis consolatii erit scire se hoc cultu illos Doctores sequi; illis vero tardi ingenii viris, qui ab imaginum cultu aversantur, sat ignominiae est, quod sese Doctoribus opponunt, quae oppositio ostendit eos a Christiana fide factos esse omnino alienos. Hac re ad instar vexilli utemur, quo omnes Christianos ad hunc Imaginum cultum reducemus.

Caput IX. Disputatio adversus eos, qui causantur Verbum illud divinum: Non facies tibi similitudines nec adorabis eas: demonstratio Dei voluntatem non fuisse ne cuiquam praeter Ipsum honor tribueretur. — Scio equidem omnes Ecclesiae filios desiderio teneri ut audiant quid hac de re disserturus sim contra eos, qui mortui sunt (mortem animae) propter eorum rebellionem contra doctrinam Christianam. Inter Christianos enim, a quibus imaginum cultus est propugnatus, inveniuntur, qui istos mortuos (morte spirituali) arguerint, decet ergo et nos hoc agere ut patres nostros antegrediamur pulchris rebus, quibus eos gaudio afficiamus, si id valeamus, Spiritu Sancto adjuti, peccata enim nostra non respicimus sed ostendimus studium nostrum ut eis nos utiles praebeamus, etsi, ne desiderium expleamus ingenii

prohibet tenuitas. Sed auxilio Dei freti eos aggredimur eosque rogamus: Dicite nobis cur cultum imaginum Christi Domini Nostri et Sanctorum Ejus nobis in crimen vertatis! Dicent propter verbum Dei, in Lege scriptum[1]): Ego Dominus Deus tuus, qui eduxit te e terra Aegypti, ex domo servitutis, non erunt tibi dii praeter Me, ne tibi facias simulacrum nec sumilitudinem omnium quae in coelis sunt sursum vel quae in terra deorsum vel quae in aqua sub terra, non adorabis ea nec servies eis, ecce enim Ego sum Dominus Deus tuus'; — iterum propter verbum Moysis, quod in Deuteronomio scriptum est[2]): ,Deum tuum adorabis et Illi soli servies', denique propter hoc quod Deus Israelitas per Prophetas etiam atque etiam corripuit ne idola et simulacra adorarent. Quibus respondemus: Revera Deus hoc jussit quod enumerastis, nec vobis difficile foret multa talia testimonia afferre; nobis dicatis, quaeso, num Deus illis verbis: Non adorabis cet., quemquam praeter Ipsum coli et honorari vetuerit? Quod si dicatis, Patres et Prophetas peccatores fuisse dicatis. Quid enim dicendum de Abraham, Dei amico, qui sese prostravit ante Hethitas, cum ab iis petebat ut sepulcrum ipsi venderent in quo Saram sepeliret? Jacob quoque sese prostravit ante fratrem suum Esau septies, pronus in terram et ipse Israel in extrema virga Josephum honoravit, et filii Joseph se prostraverunt ante Jacob avum suum in facies suas proni in terram et Moyses sese prostravit ante socrum suum. Sed fortasse quispiam dixerit hanc, quam attulimus venerationem, adhibitam fuisse antequam Deus aliquem praeter Ipsum honorari vetuisset. Ad quod respondemus Moysen sese ante socrum suum prostravisse, postquam Deus eum legem suam docuit, illo scilicet tempore, cum eum aquam amaram ligno immisso in dulcem vertere jussit. Haec enim scripta invenimus in Lege, in Exodo Israelitarum[3]): Moyses clamavit ad Dominum

---

[1]) Ex. XX, 4.

[2]) Deut. VI, 13. X, 20. confer Luc. IV, 8, Math. IV, 10.

[3]) Ex. XV, 25.

et ostendit Ei Dominus lignum, quod cum misisset in aquam, aqua dulcis evasit. Ibi constituit ei Deus praecepta atque judicia. Sed urgebimus adversarios factis, quae acciderunt postquam Deus (ut vos contendatis) cuiquam praeter Ipsum honorem praestare vetuit. Nonne Mater Salomonis, filii David sese ante David prostravit; nonne Nathan propheta introivit ad David, prostravitque se in terram in faciem suam et veneratus est eum? Iterum dicitur in libro Regum: Prostravit se Bethsabee in faciem suam prona in terram et veneratus est regem[1]); Adonias quoque filius David veneratus est Salomonem et cum mater Salomonis ad ipsum intravisset ut pro Adonia intercederet[2]) ‚surrexit rex in occursum‘ ejus et veneratus est eam. In libro Paralipomenon Deus dicit[3]): Praecepit David universae ecclesiae: Benedicite Domino Deo Nostro, et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum, procubuerunt in genua et adoraverunt Deum et regem. Nonne filii quoque Prophetarum ante Eliseum prophetam sese prostraverunt in terram? Patet, o Judaee, omnes hos prophetas, si Dei voluntas fuisset ut nemini praeter Illum honor tribueretur, in errore versatos esse, quod Deus avertat! Praeterea ipsum etiam Deum sibi contradicentem facis cum verba praecepti quod Israelitis Eum dedisse diximus, ad tua placita detorqueas. Nam Isaac prophetizans benedixit Jacob eique[4]): Adorabunt, inquit, te tribus et adorabunt te filii patris tui. Si haec verba, o Judaee, vis referre ad ipsum Jacob tantum, illum tibi habeas; vel si vis ad Messiam referre, transeat, de hac re hoc loco non disputamus, quoquo enim modo hoc intelligis, aequo modo opinio tua refelletur, cum tu Christum non Deum sed merum hominem esse putes. Ita quoque de Juda vaticinatus est Jacob, Christum dicens: Adorabunt te, inquit, filii Israel. David etiam Christum praedixit adoratum

---

1) III. Reg. I, 16.
2) III. Reg. II, 19.
3) I. Paral. XXIX, 20.
4) Gen. XLIX, 8.

iri ab omnibus regibus terrae[1]). Quid ergo dicis, o Judaee? si Messiam facis Deum, Eum ab omnibus hominibus adorandum esse agnoscis, ecce autem Christianus factus es; si vero Messiam dicis hominem, non potes non intelligere Deum cuiquam praeter Se Ipsum venerationem praestari non vetuisse, sed tantummodo simulacra, illos deos gentium, adorari prohibuisse, illos deos, dico qui daemonia erant, sicut dixit David Propheta[2]): Omnes dii gentium daemonia. Omnibus notum est cultûs duplicem esse speciem, unam latriae, alteram quae non est latria. Ceteri, o Judaee, qui quemquam praeter Deum coli nefas esse dicunt et Christianos contumeliis afficiunt propter venerationem imaginibus et hominibus praestitam, quam idolatriam esse perhibent, ceteri narrant[3]) Deum omnes Angelos jussisse Adamum adorare eosque eum adorasse excepto diabolo, qui restitit et factus est apostata. Si ergo quaevis veneratio latria esset, sicut tu contendis, Deus Angelis praecepisset ut Adamo divinum honorem tribuerent, Deum vero hujusmodi quid fecisse abhorret. Si vero non ita, agnoscant esse quendam cultum, qui mera veneratio est et finem faciant eludendi Christianos, cum eos episcopis venerationem praestare videant et recordentur Deum alio[4]) quoque loco dixisse Jacob et filios ejus adorantes sese ante Joseph prostravisse, nobis vero in crimen ne vertant, quod id facimus, quod fecerunt Prophetae. Contra Judaeos aliosque igitur constat Dei voluntatem non fuisse ut nemini praeter Ipsum honor tribueretur. Haec autem est disciplinae Christianae corona quod Dei praeceptis omnino oboediens, tamen filiis suis permisit ut alios praeter Deum honore prosequerentur.

Caput X. Dei voluntatem non fuisse ut qui in Eum crederent nullas similitudines vel imagines facerent; refelluntur, qui dicunt, quisquis vivae ejusdam rei imaginem effinxerit, eum resurrectionis die compelli ut animam in imagines inspiret. — Dixit Deus in Lege: Non facies tibi similitudinem omnium quae

---

1) Ps. LXXI, 11.
2) Ps. XCV, 5.
3) Sura II, 32.
4) Sura XII, 101.

in caelo sunt sursum et quae in terra deorsum et quae in aquis sub terra sunt. His vero verbis non voluit ut nullius rei, quae in caelis vel in terra vel in aqua est, imaginem homines sibi faciant. Quodsi quis contendat Deum hoc dicere voluisse, ipsum Deum adversus se Ipsum agentem facit quo tempore Moysen tabernaculnm foederis construere jussit in similitudinem imaginis, quam ei ostenderat in monte. Facies mihi, inquit, sanctuarium et apparebo inter vos, illudque construes simile imaginis tabernaculi et imaginis vasum ejus quas omnes ostendam tibi in monte; sic facies illud. Alio in loco: Facies illud, inquit, sicut vidisti in monte, sic facies illud. Has res ergo Deus imagine effingi jussit ut vides. Si vero scire velis num Deus praeceperit ut effingerentur facies et membra corporis, audi quid Moysi dixerit: Duos, inquit[1]), facies Cherubim aureos, tornatiles, facies eos ex utraque parte propitiatorii; et paulo inferius: Extendant Cherubim alas suas, desuper tegentes alis suis propitiatorium, facies eorum sint una ad alteram versae, ad propitiatorium sint vultus Cherubim directi. Videsne Deum Moysen jussisse effingere vultus et alas, perfectam plane effigiem sicut Deus in monte ei ostenderat? Deus itaque cum Israelitis dixit: „non facies tibi similitudinem omnium rerum quae in coelo sunt et quae super terram et quae sunt in aqua“, his verbis non voluit ut credentes in Ipsum nullas prorsus imagines facerent sed eos tantummodo vetuit effingere imagines, quas adorarent et quae eos a Dei cognitione detraherent. Salomon filius David cum Hierosolymis Deo templum aedificaret quod ibi Deus haberet uti in deserto tabernaculum foederis habuisset, duos Cherubim fecit similes illis de quibus diximus, quorum alae, facies et pedes in libro Paralipomenon[2]) describuntur. Deus Moysen jussit facere serpentem aeneum. Salomon effinxit in templo palmas et lilia, in quo leonum quoque fecit imagines et taurorum et mare ex aere fusili in eodem templo construxit illudque imposuit duodecim tauris. Ezechiel[3]) vidit Deum in templo construendo occu-

[1]) Ex. XXXV, 18, 20. [2]) II. Par. III, 10 ss. [3]) XLI, 18 ss.

patum in cujus parietibus extrinsecus et intrinsecus Cherubim fecit ad tornum fabricatos et palmas. Cherub vero habuit duas facies; hominis unam, leonis alteram, totumque templum erat coelatum ex omni parte a pavimento usque ad tectum erant Cherubim et palmae. — Haec omnia sane sunt imagines et similitudines rerum, qnae in coelo sunt et quae super terram. Ubi nunc sunt, qui dicunt quiquis vivae cujusdam rei imaginem effinxerit, resurrectionis die compulsum iri ut animam in eam spiret? Videtisne, quod si ita esset ipsum Salomonem et Moysen compulsum iri ut animam inspirent in imagines quas ipso Deo jubente fecerint, Deumque igitur fecisse ut malum eis contingeret cum Ipse auctor fuerit ut illas imagines fecerint. Deum vero eos malo afficere voluisse, abhorret. Maxime autem mirandum quod qui talia fabulantur, ipsi arborum effingunt species, neque hoc intelligunt, si vivarum rerum imaginum fatricatores compellerentur ut animam spirarent in imagines quas fecissent, ipsos futuros esse ut compellerentur ut imagines suas ita fingerent et facerent ut crescerent et fructus producerent. Nam utriusque rei apud homines eadem est ratio. Deberent ergo isti semper cruciatum iri quia arbores ita effingere sicut diximus, non poterunt. Sententia igitur ista contra eos ipsos valet non contra nos eosque oportet secundum suam ipsorum sententiam intelligere se cum arbores depingant illud praeceptum Dei violare: Non facies tibi imaginem cujusquam rei quae in coelis est et quae in terra et quae in aquis sub terra, nam Deus non dixit: Non facies tibi imaginem rei vivae sed ad omnes res, quae imagines dici possunt, praeceptum extendit. Aliis in crimen vertunt quod ipsi non animadvertentes faciunt. Has duas res demonstravimus: Deum cum Israelitis diceret: Non facies tibi ullius rei imaginem, quae in coelis est et quae in terra et quae in aquis sub terra, non veneraberis neque adorabis eam' fideles non vetuisse quemquam praeter Ipsum venerari nec vetuisse ullam imaginem vel effigiem facere. Illi ergo turpiter confutati sunt, qui Christianos ludi-

briis insectantur quod in earum ecclesiis Christi et Sanctorum imagines effingunt hominibusque venerationem praestant.

Caput XI. Definitio cultus; imaginibus cultum esse praestandum, quo eas religiose esse tangendas, deinde ostenditur Deum per species apparere Prophetis solitum fuisse. — Sed fortasse dicat quis: imagines in ecclesia esse adhibendas et hominibus venerationem esse tribuendam, hoc probasti, sed dicas quomodo cultum imaginibus esse praestandum ostendas. Cui nos: Cultum, respondemus, esse ad modum latriae vel non ad modum latriae jam demonstratum est, ille cultus vero qui non est ad modum latriae, definitur aliqua venerationis species. Dic nobis utrum veneratio ei praestetur cui genua flectantur et frons inclinetur, an in eum tendat, ad quem intentio dirigatur, cum genu flectatur, frons demittatur vel corpus inclinetur. Quod si dicat venerationem ad id tantum dirigi, quod genua tangant vel frons vel ad aliquid hujusmodi quod genibus et fronte adorantis tangatur, sequitur eum cum adorans se prosternat rem vel vilissimam adorare, quae ipsi adversa proxime adsit, dic parietem vel aliquid aliud. Ejus itaque sententia in eum ipsum cadit non in nos, et satis est ignominiae dixisse eum re vera semper adorasse semperque adoraturum esse has res quas indicavimus. Qua turpiorem nemo sane opinionem tueri posset, ita ut a bruto animali teneatur quam a virosit aptior! Veneratio ergo in eum necessario tendit ad quem dirigitur intentio cum genua ponuntur, frons inclinatur, corpus contra sistitur. Quae cum ita sint, intelligat qui illam quaestionem posuit, hoc quod Jacob extremam virgam Joseph veneratus est nihil aliud sibi velle nisi illum veneratum esse ipsum Joseph. Moyses quoque sese prostravit ante arcam supra quam Propitiatorium erat, nam Deus ei dixerat[1]: Ecce de propitiatorio, quod est supra arcam testimonii inter Cherubim manifestabor tibi et praecepta tibi dabo de filiis Israel. Sicut igitur Moyses

[1]) Ex. XXV, 22.

sese prosternebat ante figuras effictas, tornatas, earumque alas, ceteras hujusmodi res, opera manuum hominum, nec tamen ejus adoratio in imagines et opera efficta, quae ante eum erant sed in Eum tendebat ad quem hanc adorationem dirigebat, ita nos quoque Christiani cum ante imagines Christi et Sanctorum nos prosternimus, non istas tabulas vel istos colores veneramur sed ipsum Christum, cui adoratio sensu absoluto sumpta debetur, et Sanctos quibus cultus debetur ad modum vererationis. Josue,[1] filius Nun, cum Israelitae ab hostibus fugiebant et adhuc longe a Jericho aberant, scidit vestimenta sua et in faciem se prostravit, pronus in terram ante arcam Domini usque ad vesperam, ipse et senes Israel ibique ante Dominum se humiliavit imitans exemplum Moysis, qui eandem rem fecerat secundum Dei verbum ad eum: „Exinde manifestabo tibi me ipsum.“ Haec fuit quoque agendi ratio omnium Sanctorum, quod scilicet, cum Deum adorabant contra eum locum se sistebant unde Deus sese hominibus manifestabat, quamquam quin ubique esset, non dubitabant. Ita David,[2] Adorabo, inquit, ad templum sanctum tuum in timore Tui; et iterum:[3] Levavi manus meas ad templum sanctum tuum, adoremus in loco ubi steterunt pedes Ejus. Ita Daniel[4]) cum Babylone erat, aperire solebat fenestras in coenaculo suo contra Hierosolyma et ad Hierosolyma conversus Deum adorabat, audierat enim in Psalmis:[5] Deus elegit Sion et dilegit eam ut Ipsi esset habitatio et dixit: Haec requies mea in saeculum, hic habitabo, quoniam dilegi eam. Videsne Sanctos Deum adorasse contra eum locum versos unde se manifestabat quamquam Deum nullo circumscribi loco optime noverant? Israelitae quoque,[6] cum Moyses tabernaculum suum abstulerat et extra eorum castra tetenderat (quod in Lege in Exodo Israelitarum

---

1) Josue VII, 6.
2) Ps. V, 8.
3) Ps. CXXXVII, 7.
4) Dan. V, 6.
5) Ps. CXXXII, 13.
6) Ex. XXXIII, 7 ss.

scriptum invenimus) solebant omnes, quando ex castris ad ipsius tabernaculum egrediebatur, surgere eumque oculis prosequi, unusquisque ante portam tabernaculi sui, dum Moyses in ipsius tabernaculum ingressus est; ingresso autem Moyse, descendebat columna nubis et stabat ante ostium tabernaculi, et inde Deus ad Moysen loquebatur. Cernebat universus coetus columnam nubis, stantem ante ostium tabernaculi, stabatque universus coetus et adoravit unus quisque ante ostium tabernaculi sui. Videsne Deum propterea quod ex columna cum Moyse loquebatur, Israelitas jussisse ad hanc columnam versos Ipsum adorare nec tamen prudentes inter eos latuisse Deum hac columna haud esse circumscriptum, istam igitur adorationem a Deo acceptatam esse prout eorum intentio ad Ipsum dirigebatur. Cur itaque Christiani Ei non placerent, qui se ad imagines convertant Christi et Sanctorum, suum cuique honorem praestantes? Si quis vero dicat simplici prostratione ante has imagines Christianos non esse contentos, sed eas venerationis causa tangere, recordetur ille quae jam supra diximus: Jacob extremam virgam Joseph veneratum esse eamque cum veneratione tetigisse, Jacob vero hunc actum retulisse ad honorem, quem Joseph praestare voluit. Recordetur etiam quod diximus: quicumque Deum adoret, eum genibus quidem terram tangere vel stoream sed suam adorationem ad Deum referre quem honorare intendat. Ita Christiani cum venerationis causa imagines tangunt, quod faciunt referunt ad Christum vel sanctos vel Prophetas vel Apostolos Martyres vel alios, quos hoc modo honorare intendunt. Hi autem viri, quorum mentionem fecimus, numquam venerati sunt imagines, quae facies habebant, attamen Ezechiel in [1]) curru ignis quam viderat, faciem hominis fuisse narrat et faciem leonis et faciem tauri et faciem aquilae et [2]) formam fuisse throni desuper et super thronum sicut aspectus hominis, quibus

[1]) Ez. I, 4. Sed est confusio quaedam non enim in curru narratur haec omnia vidisse Ezechiel sed in turbine et in nube magna.

[2]) Ez. I, 26 ss.

narratis: Haec, inquit, erat visio similitudinis gloriae Domini. Vidi et cecidi in faciem meam.“ Haec pluries in libro suo repetit. Videsne ut Ezechiel, Propheta Dei, sese prosternat „ante similitudinem gloriae Dei“, in qua similitudine hae diversae facies essent? Christianis ergo ne in crimen vertatur, quod imagines Christi et Sanctorum venerantur, cum hoc facientes idem facere velint, quod voluerunt prophetae cum ante imagines et signa se prosternebant. Nemo autem aliquid tam turpe dicat ut Ezechielem illam quam videbat imaginem revera ipsam Dei esse substantiam putasse contendat, eumque propterea ante eam se prostravisse in faciem suam, nisi forte vel plures deos admisisset, vel has formas uni Deo tribuisset cujus essentia ex uno ad alterum statum esset mutata, Daniel enim sub alia specie Deum vidit necnon Isaias, sed Ezechiel optime novit illud, quod videbat, speciem tantum esse, similitudinem enim illud vocavit, et sanctos Prophetas tales de Deo fovisse opiniones abhorret. David quoque, propheta, saltavit ante arcam Dei, quod transferebatur ad Tabernaculum ab ipso praeparatum, et disposuit David Levitas ante arcam ut Deum laudarent et omne genus instrumentis musicis canerent. Nec tamen David aliique Prophetae, cum ante arcam sese prosternebant, saltabant vel laudes canebant, ipsam hanc arcam honorabant sed rem venerati sunt oculis latentem, cujus imaginem hanc arcam esse sibi persuasum habebant, quod supra demonstravimus scilicet Deum Moysi de partibus tabernaculi testimonii dixisse: Facies eas secundum exemplar, quod ostendam tibi in monte. Ne vituperentur ergo Christiani, cum, Christum et Sanctos in mentibus habentes, eos in eorum imaginibus venerentur sicut etiam Prophetae adorabant prototypon in imagine quam oculis cernebant. Si vero cognoscere velis num per species et signa tantummodo non autem ipsâ suâ substantiâ Deus prophetis sese ostenderit, audias quid Deus Moysi dicat[1]: Nemo me vidit et

[1]) Ex. XXXIII, 20.

vivet; audias Isaiam[1]): Vidi Regem, agminum Dominum oculis meis et iterum audias, quid Deus per Oseam[2]) Prophetam dicat: Locutus sum Prophetis et visiones multiplicavi et in manu Prophetarum assimilatus snm. Ezechiel vero, cum Deum adorabat, hominis figura indutum, sedentem in throno et super currum signum tantum Dei veneratus est ut demonstravimus. Signum autem est imago.

Caput XII. Refutantur, qui quas Christiani venerantur imagines, cum re significata haud eodem modo cohaerere contendunt quo signa quae Ezechiel vidit cum Deo conjuncta sunt, — nomina et imagines inter se non esse diversa, quatenus utraque aliquid indicant, — hoc eo probari quod quicquid honoris vel contumeliae nominibus vel imaginibus infertur ad res, quarum imagines vel nomima sunt refertur. — Si quis dicat illas quas Christiani colant imagines ad id cujus imagines sint alia prorsus ratione esse referendas ac species formasque, quibus Deus sese Prophetis ostenderit ut nos diximus, ille intelligat sanctam Domini arcam aliaque tentorii testimonii suppellectilia cum Eo, cujus imagines et signa erant non [arcte] fuisse conjuncta; venerationem tamen accepisse qua major esse nequeat ut jam demonstravimus. Si vero scire velis feceritne Deus figuras, cum re significata non immediate connexas, quibus quod inferebatur, ad id referabatur cujus figurae et imagines erant, audias quid Moysi dixerit[3]): Et sumes duos lapides smaragdineos et sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in uno lapide et sex in altero secundum nomina eorum; facies eos opere sculptoris et coelatura gemmarii caelabis duos lapides nominibus filiorum Israel, faciesque hos duos lapides super humeros superhumeralis hic unus, illic alter lapis, memoriale filiorum Israel. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel coram Domino super humeros ejus ob recordationem eorum. Paulo inferius Deus Moysi[4]):

---

[1]) Is. VI, 5.
[2]) Osee XII, 11.
[3]) Ex. XXVIII, 9 ss.
[4]) Ex. XXVIII, 15a.

„Facies, inquit, pallium judicii, colore tinctum, sicut texturam superhumeralis, quadrangulum, ponesque in eo quattuor ordines lapidum et lapides secundum omnes eorum ordines nomina accipient; quibus dictis sic pergit[1]: „Et erunt lapides cum nominibus filiorum Israel numero duodecim, sicut eorum nomina secundum duodecim tribus,“ paulo inferius addit[2]: Et inferet Aaron nomina filiorum Israel super pallium judiciorum super pectus ejus cum intrat Sanctuarium in conspectum Domini. Deinde dicit[3]) „Et erunt super pectus Aaron cum ingreditur in conspectum Domini portabitque Aaron judicio filiorum Israel super pectus suum ante Dominum semper.“ Videsne ut Deus, qui omnes res cognoscat antequam fiant, non dedignatus sit nomina filiorum Israel coram se habere pro monumento ac si ipsi filii Israel, cum eorum nomina ante Ipsum prostrata videret, sese coram Ipso humiliarent ut sese misericors in eos inclinaret. Nec tamen haec nomina erant imago immediate connexa cum re significata. Cur igitur Christiani objurgantur quod Christi faciem in translatione oeconomiae ipsius[4]) depingant, faciesque Sanctorum, quorum opera repraesentent, ut monumentum sint quo excitentur ut gratos denuo se praebeant erga Christum quod tam ardua sustinuerit in re redemptionis nostrae et ut sanctos imitentur, qui tam multa pro Christi amore passi sint. Nam cum imagines adspiciunt ipsos fere Sanctos adspiciunt etsi hae imagines cum Sanctis non sint immediate connexae. Si quis dicat nomina non se habere sicut imagines, hoc dicit rerum inscientiā, cum non agnoscat nomina scripta species figurasque esse vocum voces autem species cogitationum, cogitationes vero species rerum, ut philosophia docet. Quid enim sunt imagines nisi libri perspicui, qui intelliguntur ab eo qui scit legere et qui non scit? Quare illae hac in re libris praestant, quod cum utraque illas res, quas indicant in memoriam revocent, tamen imagines

---

[1]) 16a. [2]) 17a. [3]) 21a.
[4]) Haec verba quid sibi velint non intelligo, verti ad verbum.

ad homines commonendos plus quam libri valent, quippe quae ab illis intelligantur, qui legere non possunt et penitius quam libri intellecta inculcent. Mira sane ingenii tarditas Judaeorum aliorumque, quod Christianis in crimen vertunt venerationem imaginum Sanctorum, quod hae imagines cum ipsis Sanctis non immediate connexae sint, non enim isti recordantur se idem agere quod Christianis objiciunt? Quod si non credas, dic nobis Judaee, vel quis alius, qui doctrinam quandam tueatur, si vir in charta scriptum inveniret nomen Abraham, familiaris Dei vel Isaac, Moysis, David Prophetae Dei; tum horum S. Prophetarum inimicus hanc chartam tolleret, in eam exspueret, eamque pedibus conculcaret et inquinaret horum Prophetarum odio motus, nonne qui hoc fecisset, illis ipsis dignus videretur ut morte plecteretur, perinde ac si haec ipsis Prophetis intulisset? Hoc certe nemo dubitat, tamen evidens est haec nomina cum Prophetis non esse immediate connexa. Eodem quoque modo laudarent quem viderent hanc chartam tollentem, oculis afferentem, in odoramentis ponentem. Imagines igitur sicut libris praestant, quod demonstravimus, ita praestantiores sunt nominibus. Ergo Christiani cum Sanctorum imagines venerantur non ad modum latriae sed ad modum venerationis quam omnes fideles Sanctis praestare debent; ipsos Sanctos venerantur, hoc satis est ad vindicandum cultum a Christianis Sanctorum imaginibus praestitum.

Caput XIII. Testimonium Prophetarum, imagines libris aequivalere et id quod imaginibus nominibusque inferatur ad illud referendum esse cujus nomina vel imagines sint. — Si discere velis ex ipsis Dei verbis imagines ad commonendum idem valere quod libros, audi dicentem per Isaiam prophetam[1]): Et dixit Sion dereliquit me Dominus et Dominus oblitus est mei. Num oblivisci potest mulier infantis sui ut non misereatur Filii uteri sui? Et si mulier illius oblivisceretur, ego tamen non

---

[1]) Isaias XLIX, 14 ss.

obliviscar tui. In manibus meis descripsi muros tuos et tu ante me es semper. Mox aedificaberis ab iis qui te prostraverunt, et affligentes te a te discedent." Videsne ut, quemadmodum nomina filiorum Israel lapidibus sculpta, Domino monumento erant ut eorum misereretur, ita imaginem quoque quam in manu scripsisset, Deus monumento habuerit ut Sion misereretur ejusque prosperitatem reduceret? Nec tamen quid aliud intuebatur nisi signum quoddam Sionis. Bene ergo diximus Christianos cum sanctorum imagines venerantur, ipsos Sanctos venerari, quemadmodum, qui nomina Prophetarum in charta conscripta ignominia afficiat, vel cum pietate tractet, honoret vel ignominia afficiat ipsos Prophetas, et quemadmodum qui haec nomina polluant, rei sint mortis, ita Christianum quoque Sanctorum imagines contumeliis afficientem reum esse mortis spiritualis, sed qui eas veneretur eum profecto mereri vitam aeternam. Si ex verbo Dei iterum velis discere valeantne imagines idem quod libri et num id quo imagines et libri afficiantur referatur ad illud cujus speciem prae se ferunt [quae jam supra indicavimus] audias Deum Ezechiel Prophetae dicentem[1]: Et tu homo sume tibi laterem et pones eum ante te et describes in eo civitatem Hierosolyma eamque obsidebis, aedificabis contra eam machinas [bellicas] et comportabis aggerem, pones castra contra eam et arietes ei undique inmittes et sume tibi sartaginem ferream tamquam murum ferreum inter te et civitatem et dirige faciem tuam ad eam, eritque in obsidionem et cercumda eam. Hoc erit in signum filiis Israel. Videsne ut Propheta urbem effingat sicut Deus eum facere jussit, omnesque res quas cum hac urbis imagine agit ad urbem ipsam referantur et ut huic imagini faciat perinde ac ipsi urbi faciat? Haec de imaginibus, libri vero hoc in re idem valent quod imagines; quod illis infertur ad

[1]) Ez. IV, 1 ss.

res significatas referendum est sicut ea quae imaginibus fiunt, in rem cadunt cujus imagines sunt. Haec enim scripta sunt apud Jeremiam Prophetam[1]) Verbum quod Deus Jeremiam Prophetam jussit dicere Seraiae filio Neriae, filii Ma'siae quem Sedekias rex Judaeae Babylonem misit cum muneribus quarto regni sui anno. Scripsit itaque Jeremias omnia mala, quae futura erant ut caderent in Babylonem in libro uno, omnia verba haec quae scripta sunt contra Babylonem. Et dixit Seraiae: „Cum veneris Babylonem, legito hunc librum et haec verba et dicito: O Domine tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum et ut non sit qui in eo habitet neve homies, neve pecora, sitque solitudo in aeternum! Cum compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem et projice illum in medium Euphraten et dices sic submergetur Babylon malis, quae ei imminent, dicit Dominus." Ea ergo quae libro fecit, ad urbem Babylonem referri debent et Propheta librum tractavit perinde ac si ipsa Babylon esset, quemadmodum ea quoque quae Ezechiel Propheta Hierosolymarum imagini fecit ad ipsa Hierosolyma erant referenda.

Caput XIV. Sanctum, cujus imago colatur, incitari ut apud Deum pro eo qui eam veneretur preces fundat; Sanctos esse mediatores Deum inter et homines, qui dum vivunt non minus quam post mortem Deum erga eos propitium reddant. Quae ita demonstrantur: Viri Christiani cum Sanctorum imagines venerantur ipsis Sanctis honorem praestare volentes, reapse ipsis Sanctis venerationem tribuunt. Qui vero Sanctos honorat, a Deo, Sanctorum Domino, summam meretur mercedem, Sanctosque habet mediatores in domo Dei, qui ejus preces Deo offerant, validiores reddant, et ut apud Deum hae preces ei succedant, efficiant. Deus enim pro sua bonitate Sanctos posuit mediatores inter Se Ipsum et creaturas ut Sanc-

---

[1]) Jerem. LI, 60, secundum recens. Hebr.

tos honore donaret et homines consolaretur cum per illorum intercessionem ad Ipsum accedere possint. Jam olim Deus creaturis suis irascebatur et placari renuebat quoad Sancti pro eis intercesserunt, cujus rei testimonia abundant. Quis ignorat Deum iratum fuisse Israelitis, qui vitulum adorarent, eosque delere voluisse, sed Moysen ad Eum ascendisse dum iram Ejus avertisset eumque eis propitium reddidisset, et Deum ei dixisse: Propter te solum eis placatus sum. Et quis nescit Deum rem Sodomi Abraham narrasse ut eum submoneret ut pro eis peteret et ita Abrahamo beneficium praestare Ipse posset pro populo. Nonne Eliae Prophetae Deus potestatem tribuit aperiendi coelum et claudendi, ac si Deus a Sua Ipse administratione discederet ut eam illi deferret, nec Prophetae suo illustri promissis non stetit sed quod ille voluit exsecutus est, et factum est ut homines res non ab Ipso Deo [cujus Majestas sit benedicta] sed ab Ejus Propheta peterent. Sed honor ab Eo praestitus omnem exspectationem superabat, cum misericordiam Suam a creaturis retineret donec amici Ipsius illam ab Eo pro eis impetrarent, videbatur Deus eandem ac sibi vel forte majorem honorem eis decrevisse, qui Ipsum ament. Nec tantum dum vivunt, Deus amicos Suos ita tractavit sed etiam post eorum discessum, honor eis ab hominibus tribuendus remanet, quod ipsi apud Deum cum eis consociantur. Quoties in Sacris Libris commemoretur Deum propter Abraham, Isaac et Jacob post eorum mortem benefecisse hominibus et quoties post eos intercessio apud Eum adhibita sit, quoties liberaverit Hierosolyma propter David, cum jam e vita discessisset — haec nota sunt eis, qui Sacros Libros legerunt. Si ergo haec veneratio ad ipsos Sanctos refertur quantum emolumentum assequuntur Christiani cum imagines Sanctorum venerantur! Per fidem meam nemo ad imaginem accedit, eamque veneratur quin Sanctum cujus imago est, ut pro se precetur adducat. Nec cuiquam imaginem colenti summa cum cura verba contexere opus est, ipse enim Sanctus, per fidem meam, quod beneficium

ei praestandum sit optime novit, Illud vero insigne quoddam beneficium erit quod colens totum integrumque adipiscitur, quis vero hujusmodi quid non expeteret? Cum de Deo dixerimus, regum terrenorum jam non amplius lubet afferre exempla, quomodo, qui regis amicos, domesticos, magistratus virosque apud eum nobiles honoret, illos suos intercessores faciat in domo regia ut apud regem ejus res bene curent, sive ipse adsit sive absit.

Caput XV. Fabulis Legis maximam omnino venerationem esse tributam propter litteras manu Dei in eis inscriptas; hasce tabulas figuram fuisse Incarnationis Verbi Dei. — At quomodo oblivisci potuisti figuram illam praeclarissimam, notissimam tabularum legis, quae in Arca Domini positae decem illa in se inscripta habebant mandata, a Deo Israelitis data, ipsis Domini digitis conscripta? Quid enim erant hae tabulae nisi figura Verbi Divini Substantialis, incarnati de Spiritu Sancto ex Maria Virgine in novissimo tempore? Ideo enim Verbum Dei Substantiale decem illis verbis simile est, quod sicut Verbum Divinum perfectum, hypostaticum est ita numerus X perfectus est inter omnes numeros, numeri enim ab I incipiunt et usque ad X pergunt tum antem ad I redeunt et eodem orbe semper volvuntur. Digitis autem Dei nemo est qui ignorat Spiritum Sanctum significari, quod Christus, Dominus Noster in Evangelio dixit[1]): Ego digito Dei ejicio daemonia. Quae interpretatus est alter Evangelista, Dominica verba quoad significationem sic reddens[2]): Ego Spiritu Dei ejicio daemonia. Arca Domini est Maria in qua, carnem assumens Verbum Dei habitavit, Maria, quae divinae naturae consors facta[3]), peccato non est inquinata, sicut arca Dei erat ex ligno omni vitio carenti et intus et foris habebat aurum inductum. Sed nunc non est locus, quo quid hae figurae sibi voluerint disseramus, vel eas ad earum pro-

1) Luc. XI, 20.
2) Matth. XII, 28.
3) II. Petr. I, 4.

totypa referamus, quae per haec signa futura erant ut agnoscerentur, Judaei, errore obcaecati, quae de his typis diximus, ineptias reputant nec intellegunt miseri: has res, quandoquidem constat eas aliarum rerum esse figuras, quod Deus Moysi dixit: Fac omnia in similitudinem exempli quod ostendam tibi in monte, non intelligunt dico eas signorum numere fungi et significatione haud dubie non carere. Ad nullam vero meliorem significationem eas referre possumus quam ad oeconomiam Christi quippe qui apud eos aeque ac apud nos omnium votorum exitus habeatur, quem omnes Prophetae praedicaverint et indicaverint in omnibus quae dixerunt et fecerunt. Propterea enim quod res ita se habent sicut indicaviums (verba in Legis Tabulis inscripta Incarnationis Christi Verbi Aeterni esse imaginem) propterea adorantes ante arcam se prostraverunt Prophetae, propterea ante eam adoraverunt Levitae et super eam manebat nubes gloriae Domini; propterea dicit David [1]: „Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sancta tua." An putas, o Judaee, arcam ligneam surgere posse cum jubeatur? Non ita sane, sed verba haec ad ea referri debent quae Angelus Joseph dixit in Bethlehem [2]: Surge et accipe Puerum et matrem Ejus et fuge in Aegyptum, ecce enim Herodes Eum quaerit ut Eum perdat. Surrexit Verbum Dei Incarnatum, Ipsum et arca sancta Ejus, Maria et fugit a Judaeis, Ipsi male volentibus et Ipsius caedem molientibus, in Aegyptum requiem suam. Hoc ipso Psalmo Bethlehem jam mentionem fecerat David [3]: Ecce, inquit, audivimus Eum in Ephrata, idem quoque sonat quod dixit Isaias [4]: Ecce Dominus vehitur levi nube et ingredietur Aegyptum. Si vero dubites num hae res inanimae rerum animatarum imagines esse possint, dicas quid faciamus Josuae filio Nun, qui „pergrandem tulit lapidem et posuit eum subter quercum ante Dominum et dixit Israelitis [5]): Hic lapis erit vobis in testimo-

1) Ps. CXXXI, 8.
2) Matth. II, 13.
3) Ps. CXXXI, 6.
4) Is. XIX, 1.
5) Jos. XXIV, 27.

nium cum audierit quidquid vobis hodie a Domino dictum est, et ipse erit vobis in testimonium in novissimo dierum, si mentiamini in Dominum Deum vestrum. An putas, Judaee, hunc lapidem revera verba Domini audiisse et pro Eo testem exstitisse in novissimo dierum contra Israelitas? Haec absurda tamen sequerentur nisi hic lapis alîus rei figura fuisset, qua aliquid significatum erat, quod vivit, audit, testis est. Verbum ergo, quod, in tabulis legis conscriptum, imago exstitit, ita se habet ut diximus, qui illud figuram fuisse contendimus Incarnationis Verbi Divini Aeterni. Quid enim est liber nisi imago Vocis audibilis et haec iterum est imago Vocis Rationalis et Substantialis, uti jam supra diximus. Nec mirandum, quod Judaeus has res non intelligit, est enim iste errore obcaecatus et stultus, quod ipsi Prophetae contra eum testantur et caecitas occupavit eorum animos, sicut S. Paulus[1]: Usque in hodiernum diem, ait, cum Vetus Testamentum legitur, error occupat eorum animos. Illud vero mirum est quod nonnulli inanis mentis Christiani, qui a cultu imagini Christi et imaginibus Sanctorum praestando abstineant, mirum quod isti, quin exstiterint illae imagines, quas in Vetere Testamento exstitisse locis ex eo allatis ostendimus, nullatenus dubitant et quantos honores veteres istae imagines nactae sint nullatenus ignorant, sed nihilominus a cultu sacrarum Imaginum ipsi abhorrent.

Caput XVI. Deum, propter tardum ingenium priorum hominum, miraculis, quae oculis cerni possent, mysteria eis perspicua reddere consuevisse; Christianis vero hoc opus non esse, licet pro fidelibus et humili mente Christianis miracula patrare Deus non desistat, ut Christiana mysteria illustret et ut, quam intime imagines cum rebus significatis conjungat, ostendat. — Si qui forte Christiani dicant honorem a Deo tabulis Legis olim collatum indubie apparuisse, cum nubes gloriae Ejus in eas descenderit, sicut scriptum invenimus in libro Regum,

---

[1]) Rom XI, 8.

quod vero ad imagines, quae in nostris ecclesiis sint, attineat, nos nil hujusmodi contingere videre, — ita eis respondemus: priores homines prae ingenii tarditate mysteria Dei magni aestimare non potuisse, nisi eorum sublimitatem oculis viderent. Hoc est cur, cum primum sacrificium in testimonii tentorio offerretur, ignis in illud descenderit nec non in sacrificium, in Hierosolymitarum templo oblatum, cum Salomon illud aedificasset. Nobis vero Christianis, quibus a Spiritu Sancto intellectus datus sit, aliquid hujusmodi opus non est. Quam ob causam Dominus Noster, cum Corpus et Sanguinem suum discipulis tradebat in coenaculo Hierosolymis, panem tantummodo et vinum eis porrigebat, cum diceret: Hoc est caro mea et sanguis meus. Sed certitudo inconcussa de re, quam dixerat, discipulorum animos tenuit, quamquam divinam Majestatem ex re, quam porrigebat, effulgentem non videbant. Quod etiam apud Christianos fiebat et fit cum hoc sacrificium offerunt, credentes id esse Carnem Christi Ejusque Sanguinem, etsi post consecrationem idem oculis percipiunt, quod ante consecrationem apportaverunt. Sic se habent alia quoque eorum mysteria, et sacrae imagines ad instar aliarum rerum Christianarum habendae sunt, hinc cultu sunt dignae etiamsi stupendum quid vel immune Deus de eis non agat, nisi forte propter infideles vel propter tardum in fide ingenium humilium Christianorum, Christianorum mysteriorum sublimitatem Deus manifestet. Cotidie fere accipimus fieri miracula, quae nulla mens in dubium vocare potest, si ea bene revolvat. Hoc spectat quod dixit B. Athanasius Deum se manifestare per ossa et imagines Sanctorum. Nos ipsi quoque vidimus vasa Oleo Sancto repleta, quod ex eorum ossibus stillaverat et sanos faciebat aegrotos, qui humanam medendi facultatem excedebant. Plurimi homines viderunt daemones cruciatos ante eorum sepulcra, eosque foedissime expulsos. Nostris etiam temporibus fuit vir quidam, ex infidelibus ad fidem conversus, inter majorum gentium nobiles vir perillustris, de quo haec narrantur: Fuit ei nomen Antonius [per cujus

preces Christus nostri meminerit] et obvio cuique narrare solebat se Christianum doctrinam non credere nisi propter miraculum, quod in imagine vidisset. Fuerat haec imago inter res Theodori Martyris et hanc ipsam Judaei erigebant in eorum urbe Tiberiade, ut Christum crucifixum repraesentarent Eique illuderent. Unus ex his Judaeis imaginem hasta transfodiebat cum sanguis et aqua ex ea profluxit! Tum vero vir quidam coecus, qui aderat, cum Spiritus Sanctus propter bonam ejus voluntatem fidem in ejus animam infudisset, propius ad imaginem accessit dixitque Judaeis: Ducite manum meam in loca transfossa, ut in confodiendi ludo me quoque socium habeatis Ille vero, cum ejus manum illuc duxisset, sanguinem et aquam abstersit eaque illevit oculis, et ejus oculi aperti sunt. Tum quantum potuit, hoc Dei munus secum abstulit et in plures regiones detulit, ubi sunt monasteria et templa in honorem hujus divini muneris exstructa, in quibus miracula patrata sunt. Haec ex pluribus infidelibus et Christianis audivimus. Ex his monasteriis unum est in regione Alepponensi situm, quod vocatur monasterium B. Hananiae, ex nomine illius Judaei fidelis, qui munus divinum illuc detulit. Hujus imaginis, quam narravimus historia in omnibus Christianorum ecclesiis nota est. Nemo autem miretur, quod imagines cultu dignas esse perhibemus, nam cum imagines adspicimus, quasi ipsum Christum ipsosque Sanctos intuemur, S. Paulum enim dixisse non ignoramus, imagines oculorum quasi locum tenere. Ita rupem[1]), ut exemplo utar, ex quo Israelitis aqua saliit, dicit ipsum Christum, quamquam in aperto est rupem non ipsum Christum esse sed figuram Christi. Ita quoque Evangelista dicit nullum os Christi esse confractum, quod tamen de agno tantum scriptum est, quem Israelitae immolaverunt in Aegypto, sed apparet Christum fuisse, cujus figurae munere agnus ille fungebatur. Hactenus loci Veteris et Novi Testamenti quibus demonstratur

[1]) I. Cor. X, 4.

Sanctorum imagines esse colendas in modum venerationis; si quis vero Christianus his argumentis sibi non persuaserit, pro sua stultitia dignus esset, ut pro Judaeo habeatur.

Caput XVII. Judaeis objicitur, Deum jussisse neminem praeter ipsum coli; illos vero, qui lapides venerentur, oportere quinque illa flumina etiam adorare, quae ex Paradiso profluxerint, necnon adorantes se ad solem versus prosternere. — Tu Judaee, qui nulli rei praeter Deum cultum praestandum esse contendis, cum adhaerescas verbo quod Deus tibi debit cujus tamen quae sit significatio non intelligis nec, quamdiu Jadaeus eris, intelliges, dicas quid David Prophetae faciamus, qui te venerari jussit scabellum pedum Domini? Tuâ sententiâ, qui sacrorum librorum vim spiritualem non intelligas, hoc scabellum ipsa terra est quippe dicit enim Dominus per Isaiam Prophetam[1]: Coelum thronus meus et terra scabellum pedum meorum. Vi horum verborum ergo terra tibi adoranda est. Et eodem fere tempore, cum cultum a Christianis Christi et Sanctorum imaginibus praestitum vertis in ludibrium, inveniri potes totam terram adorans in stercore, vel cum ad lapidem illum, qui est in Hierosolymis, accedis, si te ad illum penetrare sinant, (qui legit, intelligat!) inveniri potes hunc lapidem deosculans et fronte terens. Si illum jam gradum venerationis attigisti, oportet te illum lapidem etiam adorare, nam tibi persuasisti adorationis et venerationis prorsus eandem esse rationem. Dicas quaeso, quid est cur isti lapidi aliquid ejusmodi facere debeas? Te ita responsurum optime scio: Quod ex Paradiso est, propterea ejus venerationi insisto. Sed lapidem istum ex Paradiso esse nullo modo demonstrare vales, Prophetae tui ne verbulo quidem eum commemorant. Praeterea, si huic lapidi omnes hos honores deberi sentis, cum eum ex Paradiso esse teneas, hanc tuam sententiam contra te ipsum vertimus. Quod enim si ita est, tibi censeo venereris et adores Euphraten et Tigrin et

---

[1]) Is. LXVI, 1.

alia duo flumina, quae ex Paradiso profluxisse tradit Scriptura, ob quos scripturae locos non nisi ad Orientem versus adores oportet, quippe dicit Scriptura: Plantavit Deus Paradisum in Eden ad Orientem. Quid est, o Judaee, cur illa, quae diximus isti lapidi facias, (si te hoc facere sinant), cum tamen illa flumina non adores, nec adorans te ad Orientem vertas? hoc haud aequo sane modo agis! Sed hoc ex eo oritur, quod tenebrae tuam mentem occuparunt, quae impediunt, quominus inter similia unam rem facias exemplar alterius.

Caput XVIII. Causa explicatur, cur Deus olim imaginum cultum reprobaverit et coram dixerit: Eas non adorabitis, alia hujusmodi. — Dixerit fortasse quispiam Christianus: Cur tandem in Veteri Testamento Deus hunc cultum reprobavit et cur tandem coram dixit: Non facies tibi sculptilia neque adorabis ea neque coles? Cui respondemus, Judaeorum animos in idololatriam cultum fuisse inclinatos atque propensos, quapropter, si de quodam non vetito imaginum cultu Deus praedicasset Judaeos divinis verbis usos fuisse simulatâ causâ cur in idololatriam prolaberentur. Haec autem Deus fecit sicut prudens pater filium tractat perversae indolis nulliusque consilii. Ille optime scit filium, si gladio potiretur, fratres et domesticos eo percussurum. Rex igitur, etsi, ut filius arma exerceat, quibus um hoste pugnet, perquam velit, sed eum, si gladius in manus veniret domesticos, percussurum nullatenus ignorat, filium gladium vel tangere vetat. Haud alio modo Deus, cum Israelitas inter diversos imagines colendi modos discrimen facere non posse sciret, ita ut bona agendi ratione uti possent abstinentes a cultu malo, eos vetuit ullas omnino imagines colere et in Sacris Libris hunc cultum turpem posuit, quoad Christiani venirent, quibus intellegentiam mentisque acumen largiret Spiritus Sanctus ut Eum perscrutarentur et plane perspicerent, Eique servirent, sicut Angelus Prophetae Daniel[1]): Tu, inquit, Daniel

---

[1]) Dan. XII, 4.

claude sermones et signa librum usque ad tempus novissimum usque dum plurimi intelligent et multa erit intellegentia.“ Haec fuit causa, cur imagines venerari Israelitas Deus omnino vetuerit, vetuerit, dico, si verba tantum et litterae respiciantur, quae propria et nuda significatione is tantum accipit, qui omni consilio careat. Sed hoc intellexerunt Apostoli, qui permiserunt ut imagines in Christianorum ecclesiis constituerentur, honorarentur, cultu afficerentur, nam a Christianis illud non esse timendum agnoscebant, quod ab Israelitis timendum fuerat. In re cibaria eodem agendi ratione erga Israelitas Deus usus est, plurimos enim cibos eis prohibuit et nefastos defixit eisque nomen inussit „abominationis“ ut vel ipso nomine ab istis cibis deterrerentur et abhorrerent, quippe qui suo appetitu vinci solerent et sicut canes sibi imperare non possent nec animo a libidine coercere valerent. Canes eos Deus jam per Isaiam [1]) Prophetam vocavit cum dixit: Sunt Canes impudentissimi, nesciunt saturitatem, sunt mali, ignorant intellegentiam, omnes suas vias sequentur. Videsne Deum rebus, quas creaverat, nomen abominationis dedisse, cum sua sapientia res ita regeret ut Israelitis pro eorum tardo ingenio res leviores et faciliores redderentur, et propterea coram abominationem vocasse, quod eis prohibere vellet? Liquet enim inter res a Deo creatas nullam esse revera abominabilem, nam in libro Legis scriptum est: Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona. [2]) Nec potest aliquid bonum esse simul et abominabile. Idem S. Paulus [3]): Omnis Dei creatura, inquit, bona est et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione recipiatur.“ Deus igitur, quemadmodum rebus Israelitis coram interdixit, easque abominabiles vocavit, sed res ipsas suapte natura nec immundas nec illicitas esse in S. Libris silentio texit, ita cultum quoque imaginum coram tamquam quid immane Israelitis proposuit, et

---

[1]) Is. LXI, 11 [2]) Gen. I, 31.
[3]) I. Tim. IV, 4.

ejus praestantiam in Ejus Libris occultam latere voluit, ut indicavimus, cum Christiani intellegentiam haberent, qui acceperint Spiritum Sanctum, qui Israelitis datus non est, quod in Evangelio[1]) Dominus Noster dixit: „Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in Eum, nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.“ Religionem Israelitarum eorumque cultum in certos terminos coercere voluit nec coram permisit ut eos transgrederentur. Hoc est cur dixerit: Dominum Deum tuum adorabis Eique soli servies, sed eis reticuerit Deum habere Filium et Spiritum, quorum uterque Deus est, totus et integer sicut et Ipse, Ipsique consubstantiales et cum Ipso adorandi atque colendi, ne causa fieret, cur Deo alios deos associarent. Etenim Judaei hoc quasi morbo occupati erant, ut pluribus diis servirent pluresque adorarent; et hujus rei indicationem in suis libris Deus occultavit ut suo tantum tempore ad lucem traheretur. Christianis autem alta voce praedicavit esse Deo Filium et Spiritum Sanctum, utrumque esse Deum sicut Deum Patrem, Eique consubstantialem. Christiani itaque Filium et Spiritum Sanctum adorant sicut Deum, nec tamen plures adorant deos, sed Deum et Ejus Filium et Ejus Spiritum unum Deum esse tenent. Nam Christianorum mentes ita subtiles sunt ut hoc capere valeant, jam enim effusus est Spiritus Sanctus in eos, per crucem Christi qui in gloriam suam intravit sicut supra exposuimus. Licet ergo negari nequeat Deum Israelitis omni imaginum cultu propter causam allatam coram interdixisse, tamen Apostolis revelavit Christianis hoc permittendum esse, quia ab his timendum non erat, quamvis illud timendum esset ab Israelitis. Quis enim Christianus, putas unquam adoraret imaginem? Deus avertat! Israelitae autem serpentem aeneum adoraverunt, quem Moyses in eremo fecerat et thus illi cremaverunt dum Ezechias

---

[1]) Jo. VII, 38.

rex illum destruxit, uti scriptum est in libro Regum; Moyses et qui post eum erant, hunc serpentem conservaverant, quem cum aspicerent monimento haberent, quo adducerentur ad laudem et gratiarum actionem in Deum, quod Israelitas in eremo a mortali serpentium morsu sanos reddidisset. Israelitae vero Deo hujus imaginis occasione grates agere desierunt et, in errorem ducti, ipsam imaginem adoraverunt. Hoc commiserunt quamquam ulli figurae vel imagini cultum divinum praestare gravissimo interdicto vetiti erant, quid ergo si in hac re nullo vetito restricti fuissent? Haec pauca sunt ex iis, quae in Sacris Libris inveniri possunt, quibus demonstratur Deum hujus generis leges Israelitis tulisse secundum id, quod ferre poterant eorum animi, non vero ac si haec esset Ejus vera voluntas. Huc referas, quid de uxore demittenda, (quod Moyses Israelitis permisit) scribis Judaeis dixit[1]): Moysen hoc eis tantum permisisse propter duritiem cordis eorum, ab initio autem non sic fuisse, sed Deum homines masculum et feminam fecisse. Relinquet, inquit, vir patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo caro una, tum inquit: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

Caput XIX. Demonstratur iterum haec causa ex sacra scriptura et similibus argumentis ex humana ratione desumptis. Argumentum itaque rem se ita habere sicut diximus: Deum scilicet Israelitis mandata illa adumbrasse non id quod Ipse vellet sed quod isti ferre possent respicientem, — est divinum illud verbum in Ezechiel Propheta[2]): Ego dedi eis praecepta non bona et judicia in quibus non vivent, paulo superius dixit[3]): Mandata mea non observaverunt et judicia mea non recordati sunt, quae si quis recordatur, per ea vivet. Nonne Eum audis dicentem, mandata sua non esse bona et per Ipsius judicia hominem vivere, sed etiam per illa hominem vivere? Deus in

---

[1]) Marc. X, 5 ss.

[2]) Ez. XX, 25.

[3]) Ez. XX, 13, 6.

relatione inter se et Israelitas existente, similis est cujusdam regis, qui filium habet ludendi cupiditate ita ardentem, ut a ludis abstrahi vix possit, non quod reapse id non possit, sed propter solutam cupiditatem. Iste vero filius cultris ludit et ne quando cultris se vulneret vel etiam mortem sibi inferat, pater quidem timet, puerum autem a ludis omnino arcere haud potest. Quod cum ita sit, dicit ei pater: fili mi, cultro ne ludas, sed pila lude. Tum pater pilae lusum tamquam jucundiorem filio depinget et ad illum incitabit. In aperto autem est patrem non id cupere ut filius pila ludat sed ut omnem ludum demittat seque ad literarum studium convertat, ad philosophiam vel alias res, quae ad cultum humanitatemque sibi comparanda et commoda vitae augenda spectant. Haec patris agendi ratio, si ipsam separatim consideras, bona non est, ipse enim filius, cum ejus mens matura facta fuerit, se ab hoc ludo avertet. Hoc modo Deus in Israelitas consuluit. Inter nos Christianos ergo rustici, stupidi, qui Sanctorum imagines non colunt, ne afferant illud verbum Israelitis olim dictum: „Non facies tibi imaginem omnium, quae in coelo sunt et in terra et in aquis, non adorabis ea neque servies eis.“ Nam quod cultus imaginum coram prohibetur, eodem modo se habet quo prohibitio animalium, quibus quoque coram interdicuntur, quae immunda et abominabilia ad manducandum esse dicuntur. Itaque Deus, sicut iis, qui libros Sacros intelligant, evidens reddidit nullam omnino rem ab Ipso creatam esse abominabilem, iisque ostendit rebus, quibus interdixisset, se nomen imposuisse abominationis propter aliquam causam sed non quia revera abominabiles essent, ita quoque sapientibus revelavit in S. Libris se cultum probare imaginum eorum, qui veneratione digni sunt (quod ostendimus) et illos sapientes ignorare noluit Ipsum hunc cultum detestabilem dixisse et prohibuisse propter aliquam causam, sed non quia revera abominabilis esset. Dicat forte quidam Judaeus licita illicita dicere et licita abominabilia vocare Deum non posse. Contra illum ipsum vertimus ejus sententiam et dicimus

ei: Si ita esset, nec vetita licita reddere et vetita bona vocare Deus potuisset, qui vero carnibus vetitis vesci Noae permisit, quas tamen tibi dixit detestandas et abominandas esse. Si hanc abominationem olim non cognovisset, Ille sacrosanctus cum sit, stabilis non esset nec scientia nec sermone sed vaccillans intellegentia et verbis, quod plane ab Eo abhorret. Rectissime diximus igitur cultum imaginum et esum quorundam animalium vetitorum inter turpia habenda esse, Deum quidem dixisse, non vero ita ac si Ipse has res inter turpes haberet sed propter istam oeconomiam quam in tractandis Israelitis eorumque puerili ingenio secutus est. Quod jam S. Paulus in sua ad eos epistula dixit[1]: Facti estis imbecilles ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, nunc autem indigetis ut doceamini rudimenta sermonum Dei et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo, qui perfectorum est, qui sensus exercitatos habeant ut discrimen faciant inter bonum et malum. Itaque Israelitae infantes erant, cum jam per multum tempus divina disciplina instituti essent. Nonne summo jure Deus cum iis loquens sicut ad pueros parvos locutus est[2]) quippe qui eos allicere vellet. Ita mater infanti, quem ablactare vult, lac suum vocibus aversionem exprimentibus vocat, non ac si hae voces lacti vere debeantur, sed ut ab eo infantis animum avertat, ejusque fastidio infantem imbuat cum illâ ejus aetate lacte ei opus non sit. Cultum imaginum et animalia ab Ipso prohibita voce abominationis Deus vocavit, non vero ac si hae voces his rebus revera deberentur, sed quod Israelitae illa eorum aetate his rebus opus non haberent. Ut venit vero plenitudo temporis, Christus Dominus Noster Evangelio promulgavit contraria ac quae in Lege scripta erant[3]: Non, inquit quod intrat per os coinquinat hominem. Et permisit Apostolis cultum imaginum, et illi rem, quae superiores populos ut my-

[1]) Hebr. V, 12.
[2]) Matth. XV, 11.

sterium latuit, manifestam reddiderunt. In S. Librorum testimoniis afferendis et examinandis, quibus cultum imaginum comprobavimus, diu nos esse moratos, nobis gaudium affert, nullum vero damnum si omne quod adversarius afferre potest, hic tractavimus et in medium protulimus, ne cui Christiano in mentem veniat tam salutarem imaginum cultum deserere.

Caput XX. Refellitur, qui Deum quidem quodcumque velit jubere posse contendit, hominum vero non esse, contra evidens Dei verbum agere, nisi ita facere Deus eos planissime jusserit. — Jam supra indicavimus Deum, licet Israelitis coram dixerit: Non facietis vobis ullam imaginem, cet. Moysen tamen Cherubim et serpentem illum facere jussisse. Qua re Deus manifestum reddidit, interdictum illud a Ipso esse constitutum in modum oeconomiae secundum ultimam suam voluntatem. Sed forte quispiam dixerit Dei esse hoc jubere vel illud, hominum vero non esse divina jussa migrare nisi Deus hoc ipse totidem verbis praeceperit. Cui haec respondemus: Deum quemquam praeter Ipsum coli coram vetuisse, prophetis tamen hominibus cultum praestitisse, quamquam Deum hominibus cultum praestare eos jubentem facie ad faciem non perceperunt. Intelligebant enim quid Deus illa prohibitione sibi vellet. Salomon filius David plurimas fecit imagines in templo, quod Hierosolymis Deo erexerat, imagines Cherubim et taurorum et leonum, ceterorum, quamquam ut haec fieri curaret, Deus totidem verbis ei non praeceperat. In libris Paralipomenon[1]) scriptum est David templi aedificandi descriptionem Salomoni dedisse necnon rerum, quas in templo construendas dixerat. Non tamen traditum invenimus, David hoc jussum a Deo accepisse, sed haec de David narrantur ut exemplum, quanta fuerit ejus mentis excellentia. Ideo hi duo prophetae haec omnia fecerunt, cum intelligerent, quid verbum illud divinum de non effingenda imagine sibi vellet et cum perspicerent hanc

---

3) Paral. XXVIII, 11.

interdictionem non fuisse supremam ultimamque Dei voluntatem. David panem edit, qui coram Domino positus fuerat, quem nemini praeter Sacerdotes edere licebat, nec tamen hoc pane vesci Deus eum jusserat. Machabaei Sabbato in sui defensionem pugnari permiserunt, quod tamen Deus eis non praecepit. Nec potest quis dicere David et Machabaeos necessitate coactos jussa Dei migrasse et neglexisse. Per fidem meam Antiochus Graecorum rex septem illos Machabaeos eorumque magistrum senem illum Eleazarum sat cruciavit et omne genus tormentis affici jussit ut porcina ederent, illi tamen recusaverunt et sub cruciatibus mortem subierunt. Hi autem viri sancti mandatum de illo tempore et de Sabbato servando transgressi sunt, quippe qui hanc legem in modum oeconomiae, non tamquam rem apud ipsum immutabiliter constitutam a Deo coram latam esse intellexerint. Christus eorum sapientiam laudavit, quod illius temporis sabbatique observantiam missam fecerint. Licet Sabbatum apud plebem Judaicam dies festus habitum sit, ut in Isaia Propheta scriptum est, Moyses et Elias et Daniel festivitatis loco jejunium servaverunt. Ille[1]) his quadraginta dies jejunavit, alter semel[2])XL, tertius XXI[3]) dies. Qua re contra legem egerunt populo datam, nec ut hoc facerent a Deo mandatum acceperant; etenim intellegebant, quid verba divina sibi vellent, Eum sabbatum Judaeis tum festum constituisse, ut sibi ventrem implerent et ita inducerentur, ut Dei recordarentur et Ejus recordantes, Deum suum Creatorem coeli et terrae esse agnoscerent neve ullum Deum praeter Ipsum adorarent. Hoc in Lege in Exodo Israelitarum sic scriptum[4]) est: Locutus est Moyses ad Dominum dicens: Loquere filiis Israel et dices eis: Videte ut sabbata mea custodiatis, quia signum est inter me et vos in

---

1) Ex. XXIV, 18 et Dent. IX, 25.
2) I. Reg. XIX, 8. 3) Dan. X, 13.
4) Ex. XXXI, 16, et 13.

generationibus vestris ut sciatis quia Ego Dominus, qui sanctifico vos." Et paulo inferius pergit: Custodiant filii Israel sabbata mea; pactum enim sunt sempiternum inter me et filios Israel signumque perpetuum, sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et in septimo ab opere cessavit." Elias quoque contra legem egit[1]) cum extra templum Hierosolymitanum Deo sacrificium offerebat, illudque praeparabat alio modo ac in lege praescriptum erat; nec tamen illud facere Deus eum jusserat sed intellexit Propheta vim verbi divini in Lege, propterea scilicet Deum interdixisse Israelitis quominus quocumque loco offerrent sacrificia, quod haec sacrificia daemonibus offerre consueverant, sicut scriptum est in Libro Levitico[2]): Homo ex Israelitis et ex advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit sacrificium et ad tabernaculi testimonii ostium non adduxerit ut offerret illud Domino, separetur hic vir a populo suo." Et paulo superius dixerat[3]): Nequaquam immolabunt Israelitae hostias suas daemonibus, cum quibus fornicantur. Haec est bona directio. Et iterum sacrificia Israelitarum ad Jerusalem coarcuit, ut, cum post Christi adventum Romani hanc urbem cepissent, Israelitarum sacrificia omnino tolleret cum ab Eo odio haberentur. Haec nemo ignorat, qui S. Libros didicit. Elias Propheta igitur has causas optime perspiciens, egit contra legem qua plebs tenebatur, quamquam Deus hoc illi non praeceperat. Ita Sancti quoque legem, coram latam, migrabant, qua jubebatur: Non facies tibi ullam imaginem nec adorabis illam. Nonne nobis consentietur qui olim contendit Dei esse jubere hoc vel illud, hominum autem non esse voluntati Dei publicae contra agere nisi Deus ipse praeceperit?. Per fidem meam jam demonstratum est Sanctos voluntati divinae contra egisse, cum causas intellegerent cur Deus illa jussisset. Itaque quod diximus constat: cultum imaginum cuivis necessarium esse qui divinos libros intellexerit.

1) III. Reg. XVIII, 30. 2) Lev. XVII, 8.
3) v. 7. ib.

Caput XXI. Refutatur, qui ita contra nos arguit: Optime probasti imagines illorum esse colendas, qui veneratione digni sint, me igitur veneramini, qui imago Dei sim! — Inveniuntur quidam, sic argumentantes: Si Sanctorum imagines revera ad modum venerationis colendae sint, me venerare, qui ego Ipse Dei imago sim. Haec isti respondemus: Tu in te ipso imaginem Dei destruxisti. Divina in te imago similis est filiae cuidam regiae summae pulchritudinis, cujus imago una omnium est praestantissima, quam vero imaginem vir sumeret, pedibus conculcaret, cujus oculos effoderet, aures desecaret et nasum, pedes succideret, digitos mutilaret, colorem denigraret et totam foedissime deformaret ut deformis imaginis species ei remaneret. Vel similis est cerae in qua perpulchra effigies esset conficta, filiae regis quam simillima, quam vero effigiem vir sumeret et in porci figuram mutaret; sicut per fidem meam illa cera indicaret quomodo effigies in illa expressa mutari posset, ita tua indoles indicat qua libertate fruaris faciendi naturam tuam, si velis imaginem Dei vel si velis imaginem diaboli aut bestiae. Dicas, quaeso, si illae imagines tibi afferentur nonne diceres: Certe hae non sunt imagines filiae regis? Ita tibi quoque, qui ipse obstitisti quominus tua natura tuâ sponte Dei similis redderetur, cum missam feceris mansuetudinem et pudorem, puritatem, animum ad ignoscendum paratum misericordem, aequitatem in virtutibus, cum declinaveris a via sapientiae et a virtutibus hisce similibus, cum adhaeseris rebus his contrariis, dum diaboli similis factus es vel pecudis, tibi dicimus: imago Dei non es, ergo te non veneramur sicut Sanctos vel eorum imagines veneramur, qui in eorum animis divinam imaginem conservaverint, veterem[1]) enim hominem illi exuerunt cum tota praxi ejus, et novum hominem induerunt, qui renovatur secundum imaginem Ejus, qui creavit illum.“ Si de illis res agitur, optime cognitum habes nos, cum mortui

---

[1]) Col. III, 10.

